

PHILOSOPHIAE
MORALIS

INSTITUTIO COMPENDIARIA,

Ethices & Jurisprudentiae Naturalis
Elementa continens.

Lib. III.

Auctore Francisco Hutcheson
in Academia Glasguensi P. P.

Glasguae,
Typis Roberti Foulis, apud quem venales
prostant. M DCC XLII.

Librorum & Capitum

ARGUMENTA.

In epiſtola ad Juvent. *Philoſophia moralis* " ars " vitae ad virtutem & beatitudinem aſſequen- " dam ordinandae." Ejus partes *Ethica*, & *Juriſprudentia naturalis*. Hujus itidem tres partes. 1. *Juriſprudentia privata*. 2. *Oeconomica*. 3. *Politica*. P. 1.
Operis ſuſcipiendi cauſa, & cohortatio ad Philoſophiam.

LIB. I. *ETHICA*.

Cap. I. *De natura humana*.

1. Philoſophia moralis ars *architectonica* aliis imperans. pag. 1. Ex hominis natura eruenda officiorum notitia. p. 2.
2. Conſtat homo ex animo & corpore. In quo ſita corporis praeſtantia & infirmitas. p. 3, 4.
3. Animi partes ſive facultates, intellectus & voluntas. Ad intellectum referuntur ſenſus: iique externi vel interni. 4, 5. Senſibus prima boni malique notitia paratur. ibid. Quaedam perceptiones mediae. ib. Aliae antecedentes & *directae*, nullâ alia praeeunte; aliae *reflexae*. 6.
4. *Senſus interni* quales. ib. Senſu percipiuntur omnes ideae. 7. *Vis rationis*. ib. Hae vires a Deo ad homines pervenerunt, Deique conſilium oſtendunt. ib.
5. Bona ſenſu prius quam ratione percipiuntur. 8.

De voluntate. ib. Sui in optimo Statu conservandi ſtudium cuique infixum, omniumque *appetitio* quae ad vitam faciunt beatam, & contrariorum *fuga*. 8, 9. *Gaudia*, & *moerores* unde naſcuntur. 9. Quatuor voluntatis motus. ib.

6. Motus perturbati ſive *paſſiones*; a voluntate diverſae. 10. *Appetitus rationalis* & *ſenſitivus*. ib. Hic dividitur in *concupiſcibilem* & *irraſcibilem*. ib. *Paſſionum* quatuor genera; cujuſque partes plurimae. 11.

7. Voluntatis motus vel *gratuiti*, vel ex *philautia* orti. ib. Utrumque genus vel *purum*, vel perturbatum. ib. Eorum partes. 12. Alii vi naturali moventur, alii opinionibus. ib. 13. Quae propter ſe expetenda. ib. Homini naturalis eſt *benevolentia gratuita*. ib.

8. *Senſus reflexi*, quibus cernuntur *Pulchritudo*, *Harmonia*, rerum *convenientia*. 14, 15. & laeta fit *veri cognitio*. ib.

9. *Sympathia*, ſive ſenſus communis. 16.

10. *Recti & honeſti ſenſus*, explicatur & confirmatur. 16-20.

11. Comprobationis *gradus varii*; unde *pietatis*, & *amicitiae* ſanctitas elucet. 20-23.

12. Senſus hujus *principatus*, cui in omni vita parendum. ib.

13. *Laudis & vituperii* ſenſus. 24. Homines in eo ſibi invicem ſimiles. 25.

14. Senſus *ridiculi*. 26.

15. Idearum *conjunctiones*, *memoria*, *habitus*. 27, 28. Uſus ſermonis. 29. *Ingeniorum diverſitas*, ejuſque cauſae. 29, 30.

16. Qua ratione cernitur *partium ordo*, a natura deſtinatus. 30-33.

Cap. II. *De ſummo bono & virtute.*

1. Intellectus *imperium* in voluntatem. voluntatis motus, & *libertas*. 33, 34. *Voluntatis* in intellectum poteſtas. ib.

2. Axiomata de *finibus* & *mediis*. 35. Summum bonum quale. 36.
3. Bona alia aliis contraria. ib. Bonorum instituenda comparatio, quoad *dignitatem* & *durationem*. 37.
4. *Corporis voluptates* vilissimae, minimeque diuturnae, neque omnes virtutibus contrariae. 39-41.
5. Quae ex *vitae cultu*, & *artibus* ingenuis oriuntur, digniores; vitam tamen beatam haud praestant. 41-44.
6. *Sensus communis* magnum affert ad vitam beatam aut miseram momentum. 44. Voluptates ejusdem honestae, & saepe diuturnae; dolores itidem graves, & diuturni. 45. Unicum horum malorum perfugium. ib.
7. *Recti honestique sensus:* momentum affert maximum, ex perceptionum dignitate & duratione. 46-48.
8. *Laudis & vituperii sensus*, ad eadem omnia hortabitur. 49.
9. Ut etiam voluptates quaedam leviores.
10. *Divitiarum potentiae*que momentum. sui conservandi studium saepe nimium. 51, 52. In virtute sita est vita beata. 52.
11. Quod ex malorum inter se comparatione confirmatur. Errorum causae. 52. Mala gravissima, ex aliorum miseria, & cujusque vitiis, nascuntur. 53, 54. *Summum bonum formale* in virtute, una cum vitae perfectae prosperitate. 54. De *virtutis* natura anquirendum. 55. ejusdem gradus varii. 55-57. Virtutis summa, in *Deo amando*, & *benevolentia* erga homines exercenda. ib.
12. *Deus, summum bonum objectivum*. 58.
CAP. III. *Virtutum divisiones*.
1. Virtutes, vel *intellectuales*, vel *morales*. 58. Virtus quî *mediocritatem* servet.

2. *Cardinales* quatuor; earumque definitiones 59-61.
3. Virtutes hae inter se conjunctae. 61. Mediocritas haud prima virtutis notio. ib.
4. Alia divisio utilior, prout virtutes Deum, homines aut nosmet ipsos respiciunt. 62.

Cap. IV. 1. *Pietatis erga Deum* partes duae; verae sententiae, cultusque iis consonus. 63.
2. Ex pietate nascuntur virtutes purissimae, gaudiaque maxima. 63-66.
3. *Cultus externi* natura & utilitas. 67.

Cap. V. *Officia erga homines.*
1. Arctiores hominum conjunctiones & vincula naturalia. 68, 69. In affectionibus benignis jucunditas summa. 69.
2. Aliae aliis honestiores. ib. Virtutum sociarum *summa*. ib.
3. Arctiorum societatum utilitas & sanctitas. 70. Caritates arctiores haud reprimendi. 71.
4. *Amicitiae* ortus. 72. Inter solos bonos. 73. Amicitiae leges, ejusque utilitas. ib.
5. Amor duplex, *benevolentia* & *complacentia*. Haec saepe nimia, non illa. 74.

Cap. VI. *De animi cultura.*
1. Rerum cognitio necessaria; summi boni, Dei, hominisque. 75, 76.
2. Pietas erga Deum, virtutis amor, rerumque aliarum despicientia. 77, 78. Usu exercitationeque opus, ut mens & ratio appetitibus imperare assuescat. ib.
3. *Mediocritas* inter appetituum excessus & defectus conservanda. 79. Omnes appetitus utiles esse possunt. ib.
4. Mediocres venustissimi & tutissimi. 80. Quod plurium exemplis illustratur. 80-85.
5. *Corporis cura*. *Ars* quaedam eligenda. 85. Variae artes inter se comparantur. 86.

L I B. II. *De Jurisprudentia privata.* 87.

Cap. I. *De lege naturali.*

1. *Juris* notio unde hausta. 87. *Imperii justi* idea. 88. *Legis* definitio. ib.
2. Divini imperii jus. 89.
3. *Rationis dictata practica* sunt leges divinae. 90. Legis partes duae. ib.
4. Leges pro varia promulgandi ratione, *naturales* vel *positivae.* 91. Ratione materiae, *necessariae,* vel *non-necessariae.* ib.
5. *Privilegium,* & *aequitas.* 92.
6. *Dispensationes* explicantur. 92-94.
7. *Jus naturae primarium* & *secundarium.* 94. Duo praecepta generalia. ib. Explicando hominum jura, explicantur leges. 95.

Cap. II. *De Juris natura & divisionibus.*

1. Jus, prout est qualitas moralis, definitur. 96. Ejusdem notio neque semper leges, vel communis utilitatis rationem includit. 96. Nullum communi utilitati adversatur. 97.
2. Juri omni respondet *obligatio.* ejus notio duplex, altera sensum cujusque internum, altera legem, respiciens; earumque definitiones. 98.
3. Jura *perfecta* vel *imperfecta.* inter ea limites non facilè cernuntur. 98, 99. Jura externa. ib.
4. Jura quae *alienari* possunt, vel non possunt. 100. Generalia duo societatis praecepta. 101.

Cap. III. *De virtutum & vitiorum gradibus.* 101. *Conscientia* definitur. 101, 102. Variae ejusdem divisiones. ib. Bonitas *materialis,* & *formalis.* ib.

2. *Imputatio,* quid sit. Quae moralem speciem afficiunt, vel intellectum, vel voluntatem, vel rei momentum, respiciunt. ib. Adjuncta imputationi necessaria, *libertas.* 103. Quaenam necessaria, aut impossibilia. ib. Quae ab *invitis per vim,* aut per *ignorantiam* fiunt, quaeque mixta dicuntur, quo modo imputantur. ib.

3. *Ig-*

3. *Ignorantia* vel *involuntaria*, & *invicta*, vel *voluntaria*: haec *affectata*, vel *supina*. 104. Involuntaria duplex. 105. Ignorantia *juris*, vel *facti*.

4. Quaestiones de *conscientia errante*. 105-107.

5, 6. Variae voluntatis *propensiones*, quo modo honestatem aut turpitudinem augent aut minuunt. 107-112.

7. Actionum *momenta* & *eventus*, quo modo imputantur. 112-114.

8. Habitus moralem speciem afficiunt. 114. Aliorum actiones nonnunquam imputantur. 115.

Cap. IV. *De jure hominum naturali.*

1. Status quid. 115. is duplex, vel *naturalis libertatis*, vel *adventitius*. 116. Status libertatis non est *status belli*. ib.

2. Jura *privata*, *publica*, *communia*. 117. unde primò singulorum jura privata innotescunt. ib. Jura vel *naturalia*, vel *adventitia*. 118.

3. Jura *perfecta* & *imperfecta*. ib. Jura *naturalia* perfecta recensentur. 118-120.

4. Naturalis hominum aequalitas. ib.

5. Jura naturalia imperfecta. 121.

6. De *beneficentia* & liberalitate. 122.

Cap. V. *De jure adventitio.*

1. Jura adventitia vel *realia*, vel *personalia*. 123. Inter realia, praecipua sunt *rerum dominia*. ib. Humano generi jus est utendi rebus inanimis. 123.

2. Ut etiam rebus animatis. ib.

3. Jus carne vescendi. 125.

4. Dominium quid sit, ejusque causae. 126-128.

Cap. VI. *De dominii acquirendi rationibus.*

1. Dominium vel primum vel derivatum. 129. Primum occupatione constituitur. 130.

2. Quae occupatio jure potior. 131-133.

3. Quousque occupare potest quisquam. 133-135.

Quae

Quae res communes. ib. Communio, negativa vel positiva. 136.
4. *Res nullius*, sacrae, sanctae, religiosae. ib. Res publicae. 137. Usucapio. ib.
5. *Accessiones* variae, quo jure teneantur. ib. Quae jura in Dominio continentur. 139.

CAP. VII. *De jure derivato.*
1. Discrimen inter jura realia & personalia. 140. -142.
2. Jura derivata, vel partes dominii, vel totum dominium. 140. partes quatuor. ib. Possessoris rei alienae officia. 141. *Bonae fidei possessoris*, obligatio. 143-144.
3. Juris *haereditarii* fundamentum. ib.
4. De *pignore* & *hypotheca*. 145.
5. De *servitutibus*. 146.

CAP. VIII. *De dominii transferendi rationibus*. 146.
1. Rationes variae. ib.
2. Jura testamentorum. 146-149.
3. *Successio* ab intestato. ejusque ordo. 149-152.

CAP. IX. *De contractibus*. 153.
1. Contractus necessarii. 153, 154.
2. Quousque obligant. 155.
3. Tres loquendi formulae. 156.
4. Tria in pactis spectanda, *intellectus*, *voluntas*, *materia*. ib. Judicium maturum. 157-159.
5. De *erroribus* inter paciscendum. 159.
6, 7. Pacta *expressa* & *tacita*. 163. *absoluta* & *conditionalia*. ib.
8, 9. Quis *metus* impedit obligationem. 164.
10. *materia*, *licita*, & *possibilis*. 168. De facinore turpi. 169.
11. *Realibus* cedunt *personalia* jura. 170.
12. Paciscimur per internuncios. ib.

CAP. X. *De sermocinantium officiis.*
1. *Veritas* & *fides* per se, & sua natura, pulchra. 171, 172. & in vita necessaria. ib.

2. Signo-

2. Signorum duplex usus. 173. Leges de Sermone. 174.
3. De sermonis usu cautiones. 175-178.
4. Officia in sermone honestiora. 178, 179.
CAP. XI. *De jurejurando & votis.* 180.
1. Jurisjurandi definitio & usus. ib.
2. Quis invocandus & qua formula? 181. Jusjurandum non mutat officium. 182. Sine acceptione non obligat. 183.
3. *Voti* natura. non immutat obligationes aut officia. 184, 185.
CAP. XII. *De rerum pretio.* 186.
1. Unde pendent pretia. ib.
2. *Pretium eminens* constituendum. 187. Quale debet esse. ib.
3. Nummorum usus. 188.
4. Metallorum pretia mutantur. 189.
CAP. XIV. *De variis contractuum generibus.* 191.
1. *Benefici & onerosi mandatum.* ib.
2. *Commodatum.* 192.
3. *Depositum.* 193. Actiones directae & contrariae. 193.
4. In contractibus onerosis servanda aequalitas. 194.
5. Permutatio. Emptio venditio. 195.
6. *Locatio conductio.* 196.
7. *Mutuum.* Aequi foeneris mensura. 197, 198.
8. Qui contractus aleam continentes probandi. 198-200.
9. Fide jussiones & pignora. 200.
CAP. XV. *Obligationes quasi ex contractu.* 202.
1. 2. Earum dua genera. Alumni adversus altorem obligatio. 202-206.
CAP. XVI. *Jura ex damno dato. Jura Belli.* 207.
1. De damno sarciendo. ib.
2. Quomodo aestimandum. 208.
3. De damno fortuito & damno injuria. 209.
4. De *Bello* ejusque generibus. ib. 211-213.

5. *Bella*

5. Bella aliquando licita. Tria ſpectanda. 213.
6. Cauſae juſtae, in libertate, vitâque civili. 214.
7. Terminus a quo. 215.
8. Terminus ad quem. 216. Quae vindicta damnanda. 217.
9. Condicta certamina ferè ſemper illicita. 218-220.

CAP. XVI. *De jure extraordinario; & jure omnium communi.* 221.
1. Tempore mutato nonnunquam mutantur officia. ib.
2. Exceptiones cauſis tantum graviſſimis dandae. 222. diluuntnr objectiones. 223.
3. Doctrinae hujus cautiones. 225-226.
3. Humani generis jura communia. 226-228.

CAP. XVII. *De juris abolitione,* &c. 228.
1. Tribus modis abolentur obligationes. *Solutione, ceſſione, & conditionis defectu.* ib.
2. De litibus in libertate dirimendis. 230.
3. De interpretatione, ejuſque regulis. 231-233.

LIB. III. *Oeconomices & politices elementa.*

CAP. I. *De Conjugio.* 234.
1, 2. Conjugia neceſſaria & naturalia. 235.
3. *Plato* notandus aliique. 237.
4. Coercenda venus nefanda, amoreſque vagi. 238.
5. Matrimonii leges quatuor. 239-241.
6. Matrimonii impedimenta naturalia & moralia, aetas inhabilis, contractus prior, & arcta ſanguinis conjunctio. 242-245.
7. Rupudiorum cauſae. 245, 246.

CAP. II. *De parentum & liberorum officiis.* 247.
1. Poteſtatis parentalis fundamentum & fines. ib.
2. Utrique parenti competit, niſi eam abdicent. 248.
3. Legibus civilibus augeri poteſt. 252.

4. Liberorum parentumque officia. ib.

CAP. III. *De herorum & servorum jure.* 251.

1. Unde orta servitus. ib. ejusque leges variae. 252.
2. De servis ob damnum datum aut delictum; quaenam jura ipsis manent. 253. Quo jure detineantur captivi. 254-258.
3. Herorum & servorum officia. ib.

CAP. IV. *De civitatum origine.*

1, 2. Quaenam homines ad vitam civilem invitarunt. 258-262.
3. Non rectè per vim constitui potest civitas. ib.
4. Vitae civilis opportunitates. ib. civitas definitur. 263. civile & despoticum contraria. ib.

CAP. V. *De interna civitatum structura, & summae potestatis partibus.* 264.

1. Ex solo populi consensu oritur jus imperandi. ib. unica exceptio. 265.
2. Tres actus in imperio constituendo. ib. quo modo ad posteros transmittatur obligatio civilis. 266.
3. Civitas una persona. 267. quale jus omne publicum. 268.
4. Potestatis summae partes *immanentes* vel *transeuntes.* ib. Immanentes tres. ib. Transeuntes duae. 269. Jus imperii eminens. ib. Jura majestatis minora. 270.
5. Quis summum habet imperium. ib. Non semper est infinitum aut perpetuum. ib. In omni civitate majestas eadem. 271. Quaenam civitates foederatae, quid systema civitatum. ib.

CAP. VI. *De variis rerumpub. formis.* 272.

1. Simplicium tria genera. ib.
2. Cujusque plures species. 272-274. Mixtarum ingens numerus. ib.
3. Qnatuor in politia spectanda. ib. Imperii nexus inter eos qui reipub. praesunt. 275. Dominium est unicum potestatis fundamentum, ib. Absint parum civilia jura aut privilegia. 276.

Quid

Quid praecipuè per politiam praecavendum. ib. Quis civium numerus maximè idoneus. 277.

4. Monarchiae opportunitates, legibus circumscriptae praecipuè. 278. Ariſtocratiæ commoda & incommoda. ib. Democratiae item. 279. Tabellarum uſus. ib.

5. Formae mixtae omnium optimae. ib. Quae praecipuè in iis obſervanda. 280-282.

Cap. VII. *De Summi Imperii Jure, ejuſque acquirendi rationibus.* 283.

1. Poteſtas in diverſis civitatibus diverſa. Quae juſta. ib. De Imperii Jure Divino. 284.

2. Populo ſui defendendi jus eſt, etiam contra eos qui Reipub. praeſunt. 285.

3. Interregni natura. 286.

4. Officia adverſum Reges. 287.

5. Libertas naturalis & civilis. 288.

6. Qualis imperatorum ſanctitas aut majeſtas, & unde orta. 289.

7. Nulla imperii forma a Deo praeſcripta. 290.

8, 9. Quale jus imperii ex victoria oriri poteſt. ib.-293.

10. Regna *patrimonialia* nullo jure arrogantur. 294

11. De ſuccedendi jure, quique regnorum haeredes excludendi. 295.

12. De Regis aut populi jure in colonias. 297.

Cap. VIII. *De Legibus condendis & Juriſdictione.* 298

1. Quouſque circa hominum ſententias, rituſque ſacrorum, pertineat poteſtas civilis. 298-301.

2. Virtutes in civitate fovendae. Temperantia. 301-303.

3. Diligentia & induſtria. ib.

4. Juſtitia. 304.

5. Fortitudo, & ſcientia militaris. 305.

6. Cavendum contra exterorum in civitate poteſtatem. 306.

7. Legum civilium materia. ib.

8. Legum ſanctiones. Exiſtimatio, honor. 307.

9. Poe-

9. Poenae & caſtigationis natura. 308. poenarum menſura. ib. Quae προσωποληψία damnanda.
10. De poenis univerſitatum. 310.
11. Leges de tributis ſanctiſſime ſervandae. 311.
12. Civium officia & obligationes adverſus civitatis Rectores. 311-13.

CAP. IX. *De Jure Belli.* 323.
1. Belli jura eadem quae in libertate. ib. *Bellum ſolemne.* ib. Indictio non neceſſaria. 314.
2. Jus gentium *neceſſarium* & *voluntarium.* ib. Belli cauſae & termini. 315. quae fallendi artes licitae. ib.
3. Jura voluntaria. 316.
4. Quo jure res hoſtium capiuntur. 317.
5. Quae civitates medias ſpectant jura. 318-322. de perfugis protegendis. ib.

CAP. X. *De Foederibus, Legatis, & Civitatum deletione.* ib.
1. Quando danda exceptio vis & metus. ib. Foedera *realia* & *perſonalia.* 323.
2. Omnes legati liberarum civitatum pares. ib. Legatorum jura. 325.
3. De Civili vinculo ſolvendo. 326.
4. Quo Jure civitas ſui partem, aut provinciam, aut civem ſtrenuum & fortem dedere poteſt. 327.
5. Civitate deleta, quo jure ſint cives & provinciae 328. Civium manente civitate officia. 329.

ERRATA graviora.

P. 11. l. 15. voluntatis. 156. 22. cauſam dederit.

JUVENTUTI ACADEMICAE

SALUTEM.

IN *celebri apud antiquos Philoſophiae diviſione, quae pars* moralis *appellabatur, has complexa eſt diſciplinas;* Ethicam, *ſtrictius dictam, quae hominum mores internos regere profitetur & emendare, &* Juriſprudentiam naturalem. *Hujus deinde tres ſunt partes: prima,* Juriſprudentia privata, *quae jura docet legeſque in libertate naturali vigentes: altera,* Oeconomica, *leges tradens & jura quibus regenda eſt domus: tertia eſt* Politica, *quae Rerum publicarum formas explicat, ipſarumque inter ſe jura. Harum omnium in hoc libello prima traduntur elementa: quibus perlectis, tyronibus facilior erit aditus, ad clariſſima, in hac Philoſophia, ſive antiquorum* Platonis, Ariſtotelis, Xenophontis, Ciceronis; *ſive recentiorum,* Grotii, Cumberlandi

berlandi

berlandi, Puffendorfii, Harringtoni, *ſcripta & inventa cognoſcenda.*

Nobis etiam non monentibus, perſpicient Eruditi, quanta hujus libelli pars ex claris aliorum ſcriptis eſt deprompta ; ex Cicerone & Ariſtotele ; *atque, ut alios ſileam recentiores, ex* Puffendorfii de Off. Hom. & Civis *libello ; quem, vir optimus, doctiſſimus,* Gerſchomus Carmichael *nuper in hac Academia P. Profeſſor, inter omnes ejuſdem commentatores palmam ferens, ita ſupplevit & emendavit, ut libri* ſubſtantiâ, *quam vocant, multo pluris ſint* acceſſiones. *Cur autem poſt tot hujuſmodi libellos a viris doctiſſimis conſcriptos, hunc contexendum ſuſceperim, haec cauſa eſt: Docenti cuique ſuo utendum judicio, ſua arridet methodus, docendi ratio, rerumque ſeries, quae diſcentium captui accommodatiſſima ſibi videtur. Si quid autem in noſtra methodo ſit, quod diſcipulis prodeſſe poteſt, eorum intererit, breve aliquod in manibus terere ſyntagma, quod rerum ſeriem, ſummaque diſputationum capita exhibeat ; ipſiſque omnia*

nia fuſius viva voce explicata, in memori-am revocet.

Vobis, Juvenes, non Eruditis, haec ſcribuntur elementa: quibus paulum immorati, ad majora progredimini & ampliora; ad omnis ſcientiae, omnis elegantiae, artiumque bonarum inventores & excultores eximios, Scriptores Graecos & Romanos, perlegendos. Dumque hos exprimitis, puriores ſacrarum literarum, quae miſeris mortalibus certam vitae beatae ſpem reducunt, fontes aditote; ut animos veſtros omni virtute exornetis, ad omnia officia honeſtiora inſtruatis, atque cognitionis ſitim ingenuam & laudabilem expleatis.

PHI-

PHILOSOPHIÆ MORALIS COMPENDIUM.

LIBER I.

ETHICES ELEMENTA.

CAPUT I.

DE HOMINIS NATURA ejusq; PARTIBUS.

QUEMADMODUM caeterae omnes artes & disciplinae, bonum aliquod consequendum tanquam finem suum respiciunt; philosophiam moralem, quae vitae totius ordinandae ars est, finem spectare longe praestantissimum necesse est; quum se ducem profiteatur, quantum hominum viribus fieri potest, ad vitam beatam, cui inservire debent omnia quae caeteris artibus effici possunt. Suo igitur jure in caeteras sibi imperium arrogare videtur. Quum autem, constet inter omnes, in virtutibus

ipſis, atque in officiorum functione, vel ſitum eſſe illud beate vivere, vel eorum ope obtineri; (ſi modo virtutem appellent "vires animi aut habitus praeſtantiſſimos;" atque officia, deſcriptione hujuſmodi rudi & generali, "actiones omnes quae ex virtutibus proficiſcuntur," aut quae, ſecundum rectam rationem, hominis ſummo bono aſſequendo inſerviunt:) in philoſophia morali tradenda, haec duo imprimis ſedulo erunt inveſtiganda, in quo ſita ſit vita beata; & quid ſit ipſa virtus.

Quicunque, divina mente & ratione, mundum hunc univerſum, & ipſum genus humanum fabricatum fuiſſe credit, expectabit etiam in ipſa hominis natura & fabrica, repertum iri indicia non obſcura, quae monſtrent, quodnam ſit hominis opus proprium, ad quod vitae genus, quae officia, ſit a natura provida & ſolertiſſima ſubornatus; quaenam denique res vitam hominis efficere poſſint beatam. Intrandum erit igitur in hominum naturam, ut perſpiciamus quid ſimus, quidnam victuri gignamur, & quos Deus nos eſſe juſſerit. In hac autem diſquiſitione ea leviter tantum attingemus, quae ad alias pertinent ſcientias, his praecipue immorantes quae ad mores dirigendos momentum afferunt.

More omnium diſciplinarum, a notioribus

bus ad magis obſcura detegenda progredientes, neque rerum dignitatem ſpectantes: ab iis quae prima ſunt naturâ, Dei nempe opt. max. voluntate, non ordimur; aſt a naturae noſtrae conſtitutione, quae cognitione eſt prior; ut ea perſpectâ colligamus quodnam, circa animi noſtri conſilia & actiones, divini fabricatoris ſit conſilium & voluntas. Neque omittimus ea officiorum indicia aperta, quae vitae humanae commoda atque utilitates exhibent externae, licet forte ex alio fonte fluat omnis vera virtus quàm ab appetitionibus iſtiuſmodi utilitatum, aut voluptatum, quas continent res externae.

II. Atque primo: conſtat homo ex anima & corpore, quorum utrumque ſuas habet vires & partes naturales: corporis partes cognitionem habent faciliorem, medicis propriam; hoc tantum obiter attingimus, illud ita eſſe formatum, ut longe aliorum animantium corporibus anteceſſat. Senſuum organis inſtructum eſt; partium ejus, aliae ad vitam cujuſque, aliae ad genus humanum conſervandum ſunt aptiſſimae; aliae ad motus omnes pro mentis imperio peragendos, infinitamque eam actionum varietatem, quam efficere voluerit mens ſolers & artificioſa. Non praetereunda eſt forma, ad dignitatem erecta, & contemplationi

idonea; membrorum motus facillimi & celeres, tot artium ministrae manus solertissimè fabricatae; & vultus ad omnium animi motuum indicia exhibenda flexibilis. Quae omnia fusius persequuntur anatomici.

Exquisitam hanc corporis machinam fluxam esse & caducam, quotidie novis egentem ciborum fulturis, & continuo vestitu, alioque cultu, quo ab innumeris protegatur malis extrinsecus irruentibus, norunt omnes: ejus igitur tutela commissa est animo sagaci & provido, quae altera est hominis pars, eaque longè praeclarior.

III. Animi autem partes, quarum est adspectus illustrior, sunt variae; ad duas tamen reducuntur classes, quarum altera vires omnes cognoscendi continet, quae intellectus dicitur; altera vires appetendi, quae dicitur voluntas.

Intelligendi vires sunt plures, ideo hic brevius percurrendae, quod his explicandis immorantur logici & metaphysici. Primo veniunt sensus, quo nomine appellatur animi quaevis constitutio aut conformatio naturalis, cujus vi certas ideas, aut species, ex certis recipit rebus objectis. Suntque hi sensus vel externi vel interni. Externi a corporeis pendent organis, ita constituti, ut ex motu quovis validiore, aut mutatione, in corpore, sive per vim extrinsecus impres-

sam

ſam, ſive per vim internam, confeſtim oriatur in animo perceptio quaedam, aut informatio. Gratae autem ſunt, aut ſaltem non moleſtae, perceptiones, quae excipiunt motus, mutationes, aut impreſſiones corpori utiles vel innocuas; moleſtæ vero ſunt, & cum dolore conjunctae, quas excitant mutationes corpori nociturae.

Corporis voluptates, & dolores, quamvis ſatis validè mentem commoveant, breves ſunt, plerumque, & fluxae admodum; neque voluptatum praeteritarum grata eſt recordatio, aut dolorum moleſta.

Primas his ſenſibus comparamus bonorum & malorum notitias. Quae res, gratas excitant perceptiones, ſunt bonae; quae moleſtas, malae; earum quae ſenſibus objiciuntur externis. Quæ aliis percipiuntur, ſenſumque excitant gratum, ſimili ratione dicimus bona, & quae moleſtum, mala. Beatitudo, in univerſum, eſt ſtatus ubi rerum, gratum ſenſum excitantium, ſuppetit copia, amoto dolore; & miſeria, ubi irruunt dolores crebri & diuturni, excludentes omnia fere quae ſunt grata.

Sunt &, a corpore pendentes, perceptiones mediae, nulla aut exigua cum voluptate, aut dolore, per ſe conjunctae; quae rerum externarum ſuppeditant ideas, earumque mutationes indicant. His corporum

quorumvis magnitudines, figuras, ſitus, motum, aut quietem cognoſcimus; quae omnia viſu & tactu praecipue percipiuntur; neque ſenſum excitant per ſe vel gratum vel moleſtum; licet nos ſaepe certiores faciunt eventuum, ex quibus, alia de cauſa, laetitiam aut iram, gaudia aut moerores colligamus.

Corporis voluptates & dolores, nobis cum mutis animalibus communes, nonnullum habent, ad vitam vel beatam vel miſeram, momentum. Poſterioris generis perceptiones, rerum externarum qualitates indicantes, magnum praebent in vita uſum, in actionibus externis regendis, in rerum cognitione, & in artibus fere omnibus capiendis & exercendis.

Utrumque perceptionum genus dici poteſt *directum* & *antecedens*, quod non alias ideas aut ſpecies praecurrentes exigat. Aliae autem ſunt perceptiones, etiam earum ſpecierum quae non ſine organis corporeis ad animum perveniunt, quas diſtinguendi cauſa, dicimus *reflexas* aut ſubſequentes; quia alias prius admiſſas ſubſequantur ideas, de quibus mox erit agendum. Hactenus de ſenſibus externis.

IV. Sensus interni, ſunt illae animi vires, quibus omnia quae intra ſe fiunt, aut ipſe ſecum molitur, percipit, ſive actiones,

ſive

ſive paſſiones, judicia, voluntates, deſideria, gaudia, dolores, & agendi conſilia. Hae vires, conſcientiae internae, aut *reflectionis* nomine, apud claros ſcriptores appellantur; cui omnia quae in ipſa mente fiunt objiciuntur, pariter ac ſenſibus externis res externae. Hi ſenſus externi & interni omnem ſuppeditant idearum ſupellectilem, & ratiocinandi materiam, in qua exercetur homini propria rationis vis; quae plenius forent declaranda, niſi ad logicam pertineret.

Rationis ope, rerum relationes, quae dicuntur, & cognationes, & nexus cernere valet mens; conſequentia & cauſas, earumque progreſſus, & anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, & rebus praeſentibus adjungit & annectit futuras, & facile totius vitae curſum videt, ad eamque degendam praeparat res neceſſarias.

Rationis uſu facilè innoteſcit, mundum univerſum Dei ſapientiſſimi opt. max. conſilio ab initio fuiſſe conſtitutum, & omni tempore adminiſtratum, atque humano generi tributam eſſe hanc rationis, ſupra caetera animantia, praeſtantiam, una cum caeteris omnibus ſive corporis ſive animi viribus; ex quibus elucere poterit parentis ſui creatoris & conſervatoris munificentiſſimi ratio & conſilium circa homines, quaeque eorum

eorum officia, quod vitae genus & institutio ipsi sint grata.

V. Quum autem omne ferè bonum, quod momentum aliquod afferre potest ad vitam beatam, sensu aliquo proximo ratiocinationem omnem antecedente, percipiatur; rationis enim est, bona, quæ sensu prius erant percepta, inter se comparare, iisque consequendis idoneas monstrare rationes & subsidia: sublimiores igitur sensus omnes, aut percipiendi vires, sunt sedulo observandae, quippe monstraturae, ex quibus demum rebus conficiatur vita beata. Harum tamen explicationi praemittenda est voluntatis contemplatio; quia & animi motus, voluntates, desideria, & agendi consilia, sunt his sensibus subtilioribus res objectae, inter quas varia cernunt discrimina.

Quamprimum igitur, ex sensu qualicunque grato aut molesto, boni aut mali cujusvis notitiam adepta est mens, sua sponte subnascuntur motus quidam, ab omni sensuum perceptione diversi, boni nempe appetitio aut desiderium, & mali fuga & aversatio. Semper autem se prodit insita quaedam, omni naturae ratione praeditae, propensio aut proclivitas altè infixa, ad omnia ea appetenda, quae ad ipsius facere videntur beatitudinem, atque ad contraria omnia amolienda. Quamvis enim pauci serio secum

ex-

examinaverunt quaenam sint ea quae ad vitam vel beatam vel miseram, maximum habent momentum; omnia tamen appetunt homines naturâ, quae aliquod hujusmodi afferre videntur ad beatitudinem momentum, & contraria fugiunt: quumque plura occurrunt, quae simul prosequi nequeat mens, illa naturâ appetit, si modo tranquillo tantum motu feratur, quae caeteris plus habere momenti videntur. Ubi vero, in eadem re, variae simul commiscentur bonorum & malorum species, appetit aut fugit mens, prout plus boni aut mali in re objecta inesse videtur.

Praeter hoc desiderium & aversationem, primarios voluntatis tranquillae motus, recensentur alii duo, gaudium & tristitia. Sunt vero hi novi potius mentis status, aut sensus subtiliores, quam motus ad agendum. Hac autem ratione, quodammodo conficiuntur quatuor motuum classes, antiquioribus decantatae; qui omnes ad voluntatem, *κατ᾽ἐξοχὴν*, sive appetitum rationalem referuntur. Ubi boni spectatur adeptio, oritur desiderium; ubi mali spectatur depulsio, cautio aut aversatio. Ubi bonum contigit, aut malum est depulsum, oritur gaudium; ubi malum premit, aut bonum est amissum, tristitia.

VI. AB his animi motibus purioribus, & tran-

tranquillo ſtabilique ſuae beatitudinis appetitione, quae ratione utitur duce, diverſi plane ſunt motus quidam vehementiores & perturbati, quibus, ſecundum naturae ſuae legem, ſaepe agitatur mens, ubi certa ſpecies ipſi obverſatur, atque bruto quodam impetu, fertur ad quaedam agenda, proſequenda, aut fugienda, quamvis nondum, adhibita in conſilium ratione, ſecum ſtatuerat haec ad vitam facere vel beatam vel miſeram. Hos motus quiſque intelliget, qui, in ſe deſcendens, in memoriam revocaverit quali animi impetu fuerat abreptus, quae paſſus, quum libidine, ambitione, ira, odio, invidia, amore, laetitia, aut metu, agitabatur; etiam ubi nihil de earum rerum, quae mentem commoverant, curſu ad vitam beatam aut miſeram ſerio cogitarat. Quid quod ſaepe in partes contrarias diſtineantur & diſtrahantur homines, cum aliud cupido, mens vero, ejuſque appetitus tranquillus, aliud ſuadeat.

Perturbatos hoſce motus reducunt antiqui in ἐπιθυμίαν & θυμὸν; quorum utrumque a voluntate, βȣ̀λησι, eſt diverſum; prior, voluptatis ſpectat adeptionem, poſterior, doloris depulſionem. Utrumque continet ὄρεξις ἄλογος, ſive *appetitus ſenſitivus*, qui ſcholaſticis eſt vel *iraſcibilis* vel *concupiſcibilis:* eorum motus *paſſiones* appellant; quarum item

item sunt classes quatuor. Quae bonum spectant consequendum, *cupiditatis*; quae malum depellendum, *metus*; quæ bonum quod contigit, aut malum quod depulsum est, *laetitiae*, quæ bonum amissum aut malum imminens, *doloris* nomine notantur. Harum cujusque etiam plura sunt genera, aut partes, pro rerum varietate quam spectant variae passiones, quibus sunt nomina notissima; libido, congratulatio, ambitio, avaritia, luxuries, superbia, ira, indignatio, invidia, ultio, aemulatio, verecundia; quarum omnium natura, ex iis quae mox sunt dicenda, satis cognosci poterit.

VII. VOLUPTATIS motuum, sive puriorum sive perturbatorum, alia est divisio, prout sibi quisquam expetit voluptatem aliquam aut utilitatem, aut alteri. Gratuitam esse aliquando hominum bonitatem, nullam suam utilitatem spectantium, ubi animo benigno & amico alteri consulunt, satis constabit si quisque se excusserit, si vitae suae consilia amica & caritates, si morientium curas & studia, officiorumque cum extremo spiritu conservationes, perspexerit; praecipue vero clarorum virorum facta, & consilia, & mortes pro amicis, pro liberis, pro patria, praemeditatas & voluntarias.

Voluntatis motus hi gra uiti, sunt vel puri vel perturbati, quales & illi quibus sibi con-

consulit quisque. Atque varii qui existunt animi motus, simpliciores aut magis inter se implicati, innumera obtinent nomina, pro variis rebus expetitis aut declinatis; atque prout vel se respicit mens, vel alios homines, eorumque mores, & fortunas; aut caritates, & conjunctiones varias quibus nobiscum, aut inter se, colligantur; aut contra, odia, & dissidia quibus distrahuntur illi, quibus aliquid animum nostrum commovens obvenerat; aut qui suis consiliis, aut actionibus, hisce eventibus causam dederant: quales sunt benevolentia, comprobatio, amicitia, στοργὴ, pietas, gratia, congratulatio, moeror, philautia, verecundia, ostentatio, arrogantia, superbia, commiseratio, indignatio, invidia, contemptus, ἐπιχαιρεκακία, atque ejusmodi plures; quibus fuse explicandis non immoramur.

Neque tamen temerè, & pro specie tantum fortuito objecta, oriuntur omnes hae passiones. Quaedam naturali impetu moventur, ita ut nemo fere aut pauci possint esse earum immunes. Victus & amictus, fere, appetitio est naturalis, famis, sitis, aut frigoris sensu molesto excitata. Commune animantium omnium est conjunctionis appetitus procreandi causa, & in eos qui procreati sunt praecipua quaedam cura. Vi pariter naturali, at non adeo necessaria, moventur

ventur caeterae passiones, aut appetitiones, specie ea oblata, , quam iis excitandis aptam constituerat ipsa natura, sensuque quodam commendaverat. Virtutis significatio amorem excitat & comprobationem; beneficia accepta, gratiam; injuria, aut noxa, iram & ultionem: miseria aliena, praecipue immerentium, commiserationem: omnia denique quæ sensu commendantur, appetitionem aliquam movent; quae sensu reprobantur, fugam aut aversationem. Unde patebit non aliter quam explicatis omnibus hominum sensibus, satis intelligi posse voluntatis motus.

Quae sensu quovis proximè commendantur sunt omnia propter se expetenda: in iisque, aut eorum praecipuis & maximis, situs est bonorum finis. Quum autem usu rationis compertum fuerit res per se neutiquam jucundas, comparandis rebus aliis, per se bonis & expetendis, inservire; haec etiam omnia quibus ea est vis, expetentur, propter ea quibus assequendis idonea videntur esse subsidia; qualia sunt opes, divitiae, potestas.

Quemadmodum vero, praeter *passiones* eas, aut motus perturbatos, quibus quisque certas res, naturae lege sibi commendatas, sui causa exquirit, insita est homini tranquilla propensio, aut impulsio quaedam va-

lida, cogitabundo cuivis obvia, ad maximam quam capit ejus natura beatitudinem appetendam; cujus appetitus ope caeteros animi motus, ſui cauſa quicquam anquirentes, regere poſſit & reprimere: ſic, quicunque animo tranquillo aliorum naturas, ingenia, mores, in ſuo conſpectu poſuerit, ſimilem inveniet animi propenſionem, ad communem omnium, eamque maximam, beatitudinem expetendam. Quam animi affectionem quicunque ſeria excoluerit meditatione, ſenſu ſuo interno maxime comprobatam, eam adeo validam poterit efficere, ut caeteris omnibus appetitionibus, ſive ſuam, ſive paucorum quorumvis utilitatem ſpectantibus, imperare poſſit, eaſque regere aut reprimere.

VIII. Hisce de voluntate praelibatis, progredimur ad alios animi ſenſus declarandos, quos diximus *reflexos* aut ſubſequentes; quibus novae cernuntur ſpecies, novae admittuntur perceptiones, ex rebus, ſenſu aliquo externo aut interno praeceptis; ex aliorum etiam hominum conditione; aut eventibus, etiam ratiocinatione aut teſtimonio cognitis, oriundae. Horum quoſdam minus ad rem noſtram facientes, obiter attingimus; aliis magis neceſſariis immoraturi. Viſu & auditu cum caeteris animalibus communi utuntur homines: apud hos

hos vero, aurium & oculorum est admirabile quoddam & artificiosum judicium, quo multa cernunt subtiliùs; in formis corporeis, pulchritudinem, venustatem, partium convenientiam; in sonis, gratum concentum & harmoniam; in artibus, in pictis, fictis, coelatis, in ipso motu & actione, imitationem: quae omnia humaniore nos perfundunt voluptate. Huic comparandae inserviunt artes plurimae & mechanicae & liberales; hanc insectantur homines in iis operibus, eoque instrumento omni, quae vitae usus & necessitates requirunt.

Sunt & non dissimiles perceptiones gratae, ex rei objectae amplitudine subnascentes, atque ex ipsá novitate, pro naturali cognitionis & scientiae appetitu.

Ingenuis hisce voluptatibus accensenda est ea humanissima, quae ex veri cognitione exsurgit; quam omnes propter se appetunt; quaeque pro ipsarum rerum dignitate, ipsaque cognitionis evidentia, laetior est & jucundior.

Quae sensibus hisce commendantur omnia sunt quidem propter se, & sua sponte, expetenda. Ast, pro solertissimo & benignissimo Dei opt. max. consilio, in uberiorem vitae commoditatem, ita fabricantur hi sensus, & appetitus, ut ea fere omnia

nobis proxime & per ſe commendent, quae, & alia ratione, vel nobis vel humano generi ſunt profutura.

IX. Sunt & ſubtiliores alii ſenſus & utiliores; qualis eſt ea *ſympathia*, ſive ſenſus communis, cujus vi ſuper aliorum conditione commoventur homines; ex aliorum foelicitate, gaudium, ex infortuniis moerorem colligentes; prout & ridentibus arrident, & flentibus collachrymant, etiam ubi nulla ſuae conditionis habebatur ratio: unde fit ut nemo ſatis beatus eſſe poſſit, ex eo ſolo quod ſibi ſuppetant omnia, ad vitae copiam & jucunditatem facientia. Hoc etiam expetit quiſque, ut ſuppetant ea quae & aliis ſibi caris vitam praeſtare poſſint beatam; horum enim miſeriâ omnis vitae ſuae ſtatus perturbabitur.

Mira hac naturae vi, quadam quaſi contagione, una cum gratuita bonitate, efficitur, ut vix ullae ſint voluptates, ne corporis quidem, quae non plurimum aliorum conſortio adaugeantur. Nulla eſt laeta aut hilaris animi commotio, quae non inter plures diſpertiri & diffundi flagitet. Vix quicquam gratum, laetum, facetum, aut jocoſum, quod non ex pectore exardeſcit, ebullit, atque inter alios prorumpere geſtit. Neque quicquam homini gravius aut triſtius, quam aliorum, praecipue immerentium,

ſpectare

spectare aerumnas, dolores, moerores, miseriam.

X. Quum vero hominem ad agendum esse natum monstrent omnes ejus vires, instinctus, & desideria actuosa; facultatis fere cujusque in homine comes est & moderator sensus aliquis, eum ejusdem usum comprobans, qui maximè est secundum naturam, vitaeque communi maxime profuturum. Muta etiam animantia, quamvis fortè nullos habeant hujusmodi sensus subtiliores, quos *reflexos* diximus, instinctu quodam tamen, omnem voluptatis notitiam aut spem antecedente, incitantur quaeque ad ea quæ sunt secundum cujusque naturam; & in iis summam sibi inveniunt foelicitatem; aut saltem optimè generis sui foelicitati inserviunt. Tales & in hominibus reperiuntur instinctus plurimi; qui rationis & in se reflectendi vi, instructi, variis etiam gaudent sensibus reflexis, quibus subtilius est judicium de plurimis quae sensus fugerent crassiores, praecipue vero de omni virium insitarum usu. His cuique commendatur is naturalium virium usus, qui maximè est secundum naturam; quique aut sibi aut humano generi est maxime profuturus: idemque in alio comprobatur, & fit per se laetabilis & gloriosus. In ipso corporis statu, & motu, cernimus aliquid sua sponte & per se gratum; quod

& in alio comprobamus. In voce & geſtu; in corporis, ipſiuſque animi viribus; in artibus imitatricibus, quas antea diximus; in ipſis actionibus externis, & exercitationibus, quibus vel in gravioribus negotiis, vel animi cauſa utimur, aliud alio cernitur magis decorum, & homine dignum; quamvis nulla virtutis moralis ſpecie commendetur.

Quod vero attinet ad vires animi illuſtriores, voluntatis motus, & graviora agendi conſilia; inſitus eſt omnium diviniſſimus ille ſenſus, decorum, pulchrum, & honeſtum, in animi ipſius motibus, conſiliis, dictis, factiſque cernens. Hoc ſenſu certum homini ingenium & indoles, quoddam agendi genus, vitae ratio quaedam & inſtitutio, ab ipſa natura commendatur; atque in conſentaneis officiis peragendis, & recordandis, ſenſu mens pertentatur laetiſſimo; contrariorum vero omnium piget pudetque. Aliorum etiam facta aut conſilia honeſta, favore proſequimur & laudibus; eoſque in quibus eſt virtutis ſignificatio, majore amplectimur benevolentia & caritate. Contraria aliorum facta, aut conſilia, damnamus & deteſtamur. Quae hoc ſenſu comprobantur recta dicuntur, & pulchra, & virtutum nomine appellantur; quae damnantur, foeda dicuntur, aut turpia aut vitioſa.

Comprobationem movent voluntatis motus

tus, & agendi consilia omnia benigna, aut illae animi propensiones, & habitus, qui ex ea gratuita bonitate fluere, aut cum ea connecti videntur; aut saltem qui contrariam indolem, angustam & humilem sui curam aut philautiam, suam ipsius solummodo respicientem utilitatem aut voluptatem humiliorem, excludere censentur. Quae damnantur, sunt vel haec ipsa philautia, vel morosae, iracundae, invidae, aut malignae animi affectiones, quibus incitantur homines ad alios laedendos; aut denique nimiae humiliorum voluptatum libidines.

Innatum esse homini hunc sensum, testimonio omnium gentium & seculorum, plurima suis suffragiis comprobantium & damnantium, quamvis nulla suae utilitatis habeatur ratio, satis confirmatur. Quas utilitates astutè saepe spectari volunt, aut comprobandi & damnandi causas callidè commenti sunt quidam non indocti, his fere omnibus, sensum hunc esse innatum, omnibusque his causis priorem, satis efficitur: utcunque ipse qui agit sua moveatur utilitate, ejus tamen ratio habita, apud caeteros, actionis honestatem imminuere videtur, aut nonnunquam omninò tollere. Eam solam beneficentiam comprobant homines, quam gratuitam putant: quam fucatam esse & simulatam norunt, oderunt. Ubi utilitates

litates apertiores, gloria, gratia, remuneratio, ſpectantur praecipue, exigua aut nulla videtur eſſe honeſtas. Has enim ſimulatione officiorum, ſine ulla vera bonitate, aſſequimur. Quae ipſi agenti obventurae ſunt utilitates, ſive apertiores ſive magis latentes, ſua ipſi conſilia & actiones commendare poſſunt, non vero aliis, qui nullum inde capiunt fructum. Utilitates aliis ex actione quavis obventurae, ſine proximo decori ſenſu, eam neutiquam ipſi agenti commendabunt. Quid, quod & eo honeſtior videtur recta actio, magiſque laudabilis, quo majore cum labore, damno, aut periculo fuerat conjuncta. Nemo laudat, aut ab aliis laudem ſperare poteſt, qui non ſentit eſſe aliquid, quod & ſibi, & aliis, per ſe, & ſua ſponte, & ſua natura, videatur laudabile. Nemo gratiam referendam ſperat, qui non eo ipſo fatetur benevolentiam, & beneficentiam, eſſe per ſe & ſua natura amabilia. Nemo praemia a Deo poteſt ſperare, qui non credit eſſe aliquid quod ipſi Deo videtur per ſe amabile, & praemio dignum. Nemo poenas a Deo metuit, niſi pro meritis. Qui leges Dei laudat, ideo laudat quod ea jubeant quae per ſe ſunt recta, juſta, pulchra; vetentque omnia contraria.

XI. Comprobationis autem diverſi

si sunt gradus, virtutumque species aliae aliis pulchriores, ut & vitiorum, turpiores. Inter benevolas animi affectiones aequè late patentes, magis decorae sunt stabiles & tranquillae, quam perturbatae. Inter animi motus pariter tranquillos & puros, aut pariter turbatos & vehementes, illi magis laudantur qui latius patent, & maxime qui latissime, ad totam scil. rerum sensu praeditarum universitatem pertinentes.

Diximus ex virtutis comprobatione ardentiorem efflorescere amorem, in eos qui virtute videntur praediti. Quumque in omnes suas vires, affectiones, sensus, vota, appetitiones, reflectere possit mens, eaque contemplari; ille ipse decori & honesti sensus acrior, ardentior virtutis appetitio, & honestiorum omnium amor & caritas, omnino comprobabitur; neque ulla animi affectio magis, quam optimi cujusque dilectiones & caritates. Atque quum ipse Deus omnis boni & honesti sit fons inexhaustus, & exemplar absolutum, cui & innumeris beneficiis, omnino gratuitis, acceptis devinciuntur homines; nulla animi affectio magis comprobabitur, quam summa in Deum veneratio, ardentissimo cum amore, & studio illi obsequendi cui gratiam referre nequimus, conjuncta; una cum fidentis submissione animi, se suaque omnia

ipsi

ipsi permittentis, stabilique ipsum in omni virtute imitandi studio, quousque patitur naturae nostrae imbecillitas.

Damnantur autem magis malignae omnes animi affectiones, & agendi consilia, quo deliberata sunt magis & obstinata. Levior est eorum turpitudo quae ex subita quadam, & brevi transitura, cupiditate sunt profecta; longèque levior eorum quae ex subito metu aut ira. Damnatur maxime ea sordida & rebus suis semper attenta philautia, quae omnem humaniorem sensum excludit, omnes affectiones benignas superat, atque ad alios quoscunque sui causa laedendos incitat.

Merito inter turpissima, & naturâ ratione praeditâ indignissima, recensetur omnis in Deum impietas; sive admittantur ea scelera quae Dei contemptum palam produnt; sive ea sit de Deo colendo incuria, ut nulla de eo meditatio, nulla sit ejus veneratio, nulla ei gratia habeatur. Neque quicquam affert, vel ad pietatis laudem & necessitatem minuendam, aut impietatis turpitudinem, quod Deo neque prodesse possit hominum pietas, neque obesse impietas. Animi enimverò affectiones spectat praecipue, & comprobat aut damnat, hic recti, & honesti sensus, non earum in rebus externis efficaciam. Depravatus est & dete-

deteſtabilis, qui benefico & optime merito non habet gratiam, etſi eam referre nequeat; quique vel viros claros atque optimè meritos non amat, laudat, celebrat; quamvis eos nequeat ad altiores dignitates aut opes promovere. Sponte ſua prorumpit ingenium probum & honeſtum, ſive quis poteſt quicquam illorum gratia quos amat & veneratur efficere, ſive non poteſt. Haec omnia non adeo ratiocinatione, ſed intimo potius probi cujuſque ſenſu innoteſcunt.

XII. Sublimior hic ſenſus, quem vitae totius ducem conſtituit ipſa natura, etiam atque etiam eſt conſiderandus; quippe qui de omnibus animi viribus, motibus, & agendi conſiliis judicat; inque ea omnia ſuo jure arrogat ſibi imperium; graviſſimamque eam fert ſententiam, in ipſis virtutibus, ipſoque pulchri & honeſti ſtudio, ſitam eſſe, & ſummam hominis dignitatem ſive praeſtantiam, & vitam beatiſſimam. Qui ſenſum hunc fovent excoluntque, ejus vi ſentiunt ſe confirmari poſſe ad graviſſima pericula ſubeunda, aut maximas rerum externarum jacturas lubenter faciendas, ne amicorum, patriae, aut communem deſerant omnium utilitatem, ullamve officii ſui partem: eâque ſola ratione, ſuam indolem vitaeque rationem, ſentiunt ſe penitus poſſe

ſe comprobare. Acri item morſu crucian-tur, caeciſque verberibus caeduntur, qui hunc animi ſpernunt principatum, officia ſua deſerentes ex ullo externorum malorum metu, aut utilitatum appetitione.

Sublimioris hujus ſenſus, animique affectionis gratuitae & latiſſimè patentis, quam commendat praecipuè, elucet principatus, cum ſua ſponte, ſuaque vi, tum quod ſibi plaudit vir bonus, ſuum probat ingenium, ſibique vel maxime placet, quum reprimit, non ſolum eos omnes appetitus, ſive humiliores ſive ſublimiores, qui ſuae proſpiciunt utilitati aut voluptati, verum arctiores quaſque στοργῆς aut amicitiae caritates, ipſumque patriae amorem; quo communi & majori omnium conſulat foelicitati. Bonitatem enim eam latiſſimè patentem, caeteris omnibus praeponit animi affectionibus, ſive ſuam ſpectent utilitatem, ſive eorum qui arctiore quavis neceſſitudine ſibi devinciuntur. Qui autem ſecus egerit, hic vere ſibi plaudere nequit, ſi internum animi ſenſum exploraverit. Quum de aliorum indole, conſiliis, factiſque judicamus, ſimilia omnia ſemper comprobamus, immo ab iis flagitamus; omniaque ſemper damnamus contraria; quum nulla noſtrae utilitatis ratione judicium depravetur

XIII. Huic conjunctus eſt & ſenſus alter,

ter, qui homini jucundissimam facit eam comprobationem, & caritatem, quam ab aliis, ipsius facta & consilia spectantibus, consequitur; molestissimas, è contrario, facit aliorum ipsius facta recolentium censuras, vituperationes, omnemque infamiam; quamvis neque ex gloria speret emolumentum quodvis aliud oriturum, neque ex infamia incommodum: haec enim propter se expetuntur, aut fugiuntur. Unde & gloria delectantur plurimi, etiam superstite, quamvis nullum ejus sensum se sperent habituros.

Laudis hic & vituperii sensus magnum habet in vita usum, in hominibus ad omnia praeclara incitandis, iisque ab omni inhonesto, turpi, flagitioso, aut injurioso, deterrendis.

In hoc recti honestique sensu, & altero cum eo conjuncto, laudis scil. aut vituperii, multo minus sibi invicem dissimiles reperiuntur homines quam in caeteris; si modo eadem species proxima, ab intellectu, diversis hominibus repraesentetur; eadem nempe studia & animi affectiones, dijudicanda, honesta sint an turpia. Ubi vero contrariae sunt hominum de vita beata sententiae, aut de iis quae ad vitam pertinent beatam, eamve praestare possunt; non mirum est eos, (etsi similis sit omnino de mo-

ribus, omnium ſenſus) quum de actionibus judicant externis, in diverſa omnia abire, actioneſque laudare & vituperare contrarias: Aut ſi diverſi homines contrarias habeant de legibus divinis opiniones, hi ea credentes vetita, quae illis licita & honeſta videntur; quum inter omnes conveniat, Deo eſſe parendum: aut denique, ſi contrarias foveant de aliorum indole, ingenio, & moribus opiniones; his eos credentibus probos, pios, & benignos, quos illi cenſent inter ſaevos & improbos. His de cauſis in diverſa omnia abibunt, quamvis, ſimili de moribus ſenſu, eaedem animi affectiones omnibus a natura commendentur.

XIV. Quum ſenſuum horum ope, alia venuſtâ, decorâ, gloriosâ, aut venerandâ ſpecie veſtiantur; alia, vili & erubeſcendâ; ſi quando uni eidemque rei, plures & ſibi invicem contrariae ſimul inducantur ſpecies, exiſtet novus quidam ſenſus, eorum quae dicuntur *ridicula*, aut ad riſum movendum idonea. Quum vero communis ſit de humanae naturae dignitate quadam, prudentia majore & ſolertia, opinio; in hominum dictis factiſque, ea riſum movere ſolent peccata turpia, quae non ſunt cum gravi dolore aut interitu conjuncta: haec enim magis commiſerationem excitarent. Riſus quidem eſt animi commotio jucunda

jucunda; derideri autem, & ludibrio esse, fere cunctis est molestum, quod & homines studiose solent praecavere, gloriae nempe plerumque cupidi. Hinc non levis erit hujusce, sive sensus, sive facultatis, in moribus hominum corrigendis, usus. Risum etiam movere solent illa, quae simul praeclaram aliquam exhibent speciem, cum vili tamen & despicienda immistam; ex qua observata non levis oritur aliquando nec inutilis voluptas, nec spernendum colloquii condimentum, & curarum graviorum requies & levamen.

XV. NEQUE omittendae sunt aliae quaedam naturae nostrae partes aut vires, quae pariter ad voluntatem vel intellectum pertinere possunt; qualis est ea cujus vi ideas quascunque aut animi affectiones, utcunque inter se longe dispares, quae simul acrius animum commoverant, ita in posterum conjungit, ut harum una deinceps in mente excitata, alias omnes, secum olim conjunctas, representatura sit, idque confestim, sine ullo voluntatis imperio. Huic idearum conjunctioni accepta est referenda, rerum praeteritarum fere omnis revocatio & memoria, & facilis sermonis usus. Ex incauta tamen idearum conjunctione & complicatione, plurimum saepe adaugentur humiliores omnes cupiditates; quum volup-

 tatibus

tatibus humilioribus conjunctae sunt species omnino alienae, at longe magis praeclarae, ita ut haud facile divelli possint. Hinc ex elegantiae cujusdam, aut artis ingenuae, aut prudentiae, immò liberalitatis & beneficientiae, opinione, aut specie conjuncta, sortiuntur voluptates quaedam, & res externae, miram quandam, at minime naturalem, vim, desideria hominum commovendi, & magnum videntur habere ad vitam beatam momentum.

Huic affines sunt *habitus*. Ita enim nata sunt & mens & corpus, ut omnes eorum vires consuetudine, & exercitatione, augeantur & perficiantur. Usu quidem frequentiore voluptatum imminuitur jucunditas, & dolorum itidem molestia: consuetae verò ubi desunt voluptates, molestius oritur desiderium. Unde, ad omnes sive actiones sive voluptates consuetas magis sumus proclives, & difficilius ab iis cohibemur.

Quae sunt propter se expetenda, sensu aliquo, diximus, proximè commendari. Homo autem animal acutum, sagax, memor, ratione praeditum & consilio, alia quaevis expetet, quae rerum per se expetendarum copiam conficere valent: quales sunt divitiae, & potentia, quae cunctis hominum studiis & desideriis, sive honestis, sive flagitiosis, benevolis aut malevolis, inservire

vire possunt; unde & ab omnibus expetuntur.

Ad fabricam hominum, qui tanta rationis vi, tot sensibus praeclaris sunt instructi, tot societatis vinculis & caritatibus inter se devincti, absolvendam, adjunxit Deus opt. max. orationis & eloquendi vim: quae primùm efficit ut ea quae ignoramus, discere, & ea quae scimus, docere possimus. Deinde hac cohortamur, hac persuademus, hac consolamur afflictos, hac deducimus perterritos a timore, hac gestientes comprimimus, hac cupiditates iracundiasque restinguimus: haec nos juris, legum, urbium societate devinxit: haec a vita immani & fera segregavit.

Quamvis vero hae omnes quas recensuimus naturae nostrae vires, aut partes, sint omnibus fere hominibus communes, ita ut haud fere cuiquam mortalium quaevis earum prorsus deesse videatur; mira tamen est ingeniorum inter homines diversitas, cum aliae atque diversissimae naturae partes, apud alios, caeteris partibus longè praepolleant viribus, & vitae regant tenorem. Apud alios vehementiores sunt voluptatum humiliorum appetitus; aliis humaniorum & elegantiorum acrior est sensus & appetitio: apud alios eminent cognitionis studia; apud alios viget praecipue ambitio, aut futuri provida

nimis avaritia: vigent apud alios benignae animi affectiones, miserorum commiseratio, benevolentia, & beneficientia, & harum comites & fautores, virtutis amor & honestatis studium; alii ad iras, odia, & invidiam sunt proniores. In hac vero hominum conditione, quam cernimus depravatam esse & degenerem, humiliores, fere ubique, dominantur & minus honestae libidines; quaeque purior monstraret ratio maxime esse appetenda, ea plurimi parum norunt, aut parum in iis cognoscendis versantur; parciusque igitur in iis anquirendis occupantur.

Hanc ingeniorum diversitatem, ab ipsis incunabulis aliquando conspicuam, mirum in modum augent & confirmant mores, instituta, disciplinae, consuetudines, habitus, & exempla dissimilia & contraria: ne de corporum constitutione varia, cujus explicatio medicorum est, agamus. Qui vero, seriò operam dederit in veris & praecipuis bonis cognoscendis, iisque a fallacibus, & falsis secernendis, atque in partibus animi nobilioribus excolendis, poterit hic perturbatos animi motus reprimere, atque ingenium, sive naturale sive adventitium, non parum immutare, & in melius emendare.

XVI. Qui multiplicem sensuum horum perspexerit varietatem, quibus res adeo dispares hominibus commendantur appetendae;

dae; animique propensiones pariter multiplices, & mutabiles; & inter se saepe pugnantes appetitus, & desideria, quibus suam quisque insequitur utilitatem, eamque variam, aut non minus variam voluptatem; eam etiam ingenii humanitatem, affectionesque benignas multiplices; humana huic natura prima specie videbitur, chaos quoddam, rudisque rerum non bene junctarum moles, nisi altius repetendo, nexum quendam, & ordinem a natura constitutum, & principatum deprehenderit, aut ἡγημονικὸν aliquod, ad modum caeteris ponendum idoneum. Philosophiae munus est hoc investigare, atque monstrare qua demum ratione haec sint ordinanda; miro enim artificio

Hanc Deus, & melior litem natura diremit.

Quod aliquatenus perspici poterit ex iis quae diximus, decori & honesti sensum explicantes. Neque longa opus est disputatione, aut conquisitis argumentis, quum in se descendendo, quisque inveniet se facultate illa honestum a turpi discernendi esse praeditum, cujus ope cernere licebit, eum vitae tenorem atque ordinem, quem solum poterit comprobare; ubi scil. vigent benevolae omnes & gratuitae animi affectiones, simul & communi omnium consulimus utilitati; amicorum,

corum, neceſſariorum, aut noſtro privato duntaxat conſulentes commodo, ubi majori omnium non obſtat foelicitati: omnemque ubi morum excolimus manſuetudinem, bonitatem, pietatem, eaſque animi, corporiſque vires, quibus Deo hominibuſque inſervire poſſimus. Quae inſuper animi vis, recti & honeſti jucundiſſimo ſenſu, & bonae ſpei pleno, mentem perfundens, nos ad officia quaevis, etiam laborioſa & periculoſa, ſuſcipienda poterit obfirmare, eaque peracta munificentiſſime remunerare.

Quin & ipſa ratio, perluſtrans ea veri indicia, quae nobis exhibet noſtra aliarumque rerum conſtitutio, oſtendet foelicitatem maximè ſtabilem & homine digniſſimam, eodem vitae tenore, quo communi conſulitur utilitati, cuique parari; & eam plerumque rerum externarum copiam, quae alias praebet voluptates, in ſuo genere laetiſſimas. Haec etiam monſtrabit, Dei opt. max. providentia omnia adminiſtrari; unde nova elucebit ſpes & laetiſſima. Hinc colliget ea dogmata de officiis, quae ex mentis humanae rerumque aliarum fabrica obſervatâ eruerat, legum divinarum habere vim, monſtrantium quaenam Deus a nobis exigat, quaenam ei grata, quibuſque ejus comprobationem & favorem ſimus conſequuturi. Hinc melioris, poſt corporis interitum, vitae

tae exſurget ſpes, atque in omni honeſto officio animi obfirmatio & fiducia; hinc divina pietatis & religionis gaudia animum percipient; omniaque laeta & glorioſa, ſub numinis benigni auſpiciis, bonus quiſque, non ſibi ſolum, verum bonis omnibus, rerumque omnium univerſitati, poterit polliceri.

CAPUT II.

De Summo Bono et Virtute.

Pleniore naturae humanae, ejuſque partium, deſcriptione praemiſſa, progredimur anquirere de finibus bonorum & malorum, ſive de hominis ſummo bono, & vitae degendae ratione.

Non multum morabimur in quaeſtionibus illis decantatis, de intellectus imperio in voluntatem, aut voluntatis in intellectum, quae potius ad pneumatologiam pertinent. Haec obiter monenda, ignoti nullam eſſe cupidinem; menti tamen a primo inſitas eſſe plures propenſiones ad certas res, cum primum aliquam earum adepta fuerit notitiam, appetendas, atque ad contrarias propulſandas. quam *velleietatem ſimplicem* dicunt ſcholaſtici. Quae ubi ita valida fuerit, ut mentem ab aliis rebus praeſentibus exquirendis aut perfruendis, poſſit avocare, ipſiusve inertiam

am excutere, ſtudium excitabit cognoſcendi, rei expetitae conſequendae ſubſidia & rationes omnes; perſpiciendique quaenam earum ſunt maxime idoneae: quibus exploratis, permovebit etiam, ſecundum Stoicos, ad ea conſilia exſequenda, ſive ad ſtabile agendi propoſitum; quam *volitionem*, di cunt ſcholaſtici, *efficacem*. Haerent in hac parte Peripatetici quidam, negantes voluntatem neceſſario ſequi, vel ultimum intellectus judicium practicum, licet plerumque ſequatur. Vim ſui impellendi flectendique voluntati tribuunt, quae, poſitis his omnibus ad agendum praerequiſitis, quae dicuntur, agere poteſt, vel non agere, (addunt quidam etiam) hoc agere, vel huic contrarium. Haec metaphyſicis permittimus dijudicanda. In univerſum vero videtur, poteſtatem aliquam, vel imperium, improprie admodum tribui poſſe intellectui; cujus quippe munus ſolum eſt verum cernere: velle autem, jubere, aut imperare, voluntatis.

Voluntatis in intellectum imperium non aliud eſt quam quod poteſt quiſque, pro ſuo arbitrio, animum ad hanc vel illam partem examinandam convertere; atque ubi non ſumma occurrit evidentia, aſſenſionem cohibere & amplius pronunciare. Repreſentatis vero certis indiciis, aſſenſionem cohibere nequit,

quit, aut contrariae inhaerere ſententiae; immo ubi ſpecioſiora ab una parte occurrunt argumenta, pro voluntatis imperio nequit homo eam partem non exiſtimare probabiliorem. Atque haec hactenus.

II. Neque magis moramur in quaeſtionibus plurimis theoreticis, de generalibus boni finiſque ideis, aut diviſionibus; utpote facilibus, & ad pneumatologiam pertinentibus. Haec ſunt in promptu axiomata. 1. Rerum, aliae propter ſe expetuntur; aliae, quod aliis rebus comparandis inſerviant; aliae denique ob utrumque. 2. Omnia propter ſe expetita, vi quadam, aut ſenſu proximo, aut inſtinctu, & naturali quadam commendatione, nulla ratiocinatione praeeunte, nobis conciliantur. Rationis eſt, ea inveſtigare quorum ope res hujuſmodi parari poſſint: aut, ſi contentio quaedam aut comparatio fiat, quinam fines ſint maxime expetendi; quaeque iis aſſequendis optimè inſervient. 3. Triplici ſub ſpecie res nobis commendantur, *jucundi*, *utilis*, & *honeſti*. Jucunda dicuntur, omnia quae ſui cauſa quiſquam expetit, ut aliqua voluptate fruatur; rarò tamen in hoc genere ponuntur voluptates ex virtute ſublimiores. Utilia ſunt, quae propter alia, non propter ſe appetuntur. Honeſta ſunt ipſae virtutes, quae ſua propria ſpecie ac dignitate animum commovent. 4. Boni cujuſvis

vis ad vitam beatam momentum, pendet ex ipſius & dignitate & duratione. In bonorum enim dignitate magna eſt varietas. Quae ſenſibus ejuſdem generis percipiuntur, quales ſunt omnes voluptates corporis nobis cum beluis communes, eorum digniora ſunt quaeque majora & gratiora, quae & intenſiora vulgo dicuntur. Quae altioribus percipiuntur animi viribus, ſuam propriam habent dignitatem, quae proxime & per ſe elucet, omniumque ita movet comprobationem, ut laudentur hi, beatique cenſeantur, recteque egiſſe, qui hiſce delectationibus omnem corporis poſthabuerunt voluptatem. Quod de iis cernere licet, qui artibus elegantioribus, doctrinae ſtudiis, & praecipue ipſi virtuti & officiis honeſtis, ſe totos dediderunt.

Naturae igitur ſagaci & providae, hoc ſummum eſt bonum, quod propter ſe expetendum eſt; quo referuntur fere omnia, ipſum vero nuſquam; quod ſummam habet dignitatem; quod ſtabile eſt, & vitam beatam poteſt praeſtare.

III. In vita beata quaerenda, quae vel omnibus, vel plurimis & praecipuis, debet eſſe bonis cumulata, monendum eſt, neminem omnis voluptatis uſum copioſiſſimum ſibi poſſe polliceri, aut omnium malorum amotionem. Ut fluxae ſunt & inſtabiles res humanae

humanae, ita omnis quae ex rebus externis pendet voluptas eſt itidem incerta. Mutantur & intereunt ſubinde res ipſae; mutabile eſt hominis ingenium; mutabilis & incerta ea valitudo, quae ad voluptatem fruendam exigitur. Externa omnia, non in noſtra poteſtate, aſt in fortunae poſita eſſe videntur temeritate; aut verius, divina reguntur providentia, quae nemini, quod ad res attinet externas, de ſtabili & inconcuſſa cavit fortunâ.

Quid, quod & inter ſe pugnant ipſae voluptates; neque poſſit idem, omnibus conquirendis ſimul ſtrenuam navare operam, aut conquiſitis jucunde frui: immo etiam, ſublimiorum voluptatum dignitas iſtiuſmoconſortium aſpernatur, earumque pulchritudo, non parum ex eo pendet, quod ob eas, humiliores plurimas omiſimus & ſprevimus; labores etiam, & aerumnas, forti animo pertulimus.

Quum igitur datum non ſit bonis omnibus copioſe frui, aut omnia effugere mala; inquirendum eſt deinceps, quae bona ſunt praecipua, maximeque ad vitam beatam facientia? quaequé mala graviſſima, vitaeque ſtatum tranquillae maxime turbantia? Inter ſe comparanda ſunt, igitur, ea bona quae diverſis hominum ſenſibus commendantur, eorumque & dignitas ſpectanda,

& duratio. Malorum pariter comparanda inter ſe ſunt genera, ut videamus quodnam ſit extremum, aut graviſſimum.

IV. Et primo, patet corporis voluptates nullam habere dignitatem ob quam laudari poſſint. Sit quamvis grata earum titillatio, aut motus jucundi; humiles tamen ſunt ſua natura omnes, & plurimae erubeſcendae: cito etiam fluunt; praeteritarumque inſuavis erit recordatio, nihil ſecum ferens laetabile aut glorioſum, quod graviora vitae incommoda, aut aerumnas, lenire poſſit aut compenſare.

Neque dixerit quiſquam, communi hominum ſuffragio eas maxime comprobari, ideo quod hominum bona pars iis ſolis ferè inhiet. Enimvero hoc a vero adeo eſt alienum, ut pauci admodum reperiantur, qui, ſedato paulum brevi libidinis fervore, non fatebuntur, eas voluptates vitam beatam praeſtare non poſſe. Mortalium etiam nequiſſimi, imperfectis quibuſdam aut fucatis virtutum ſpeciebus plurimum capiuntur, & delectantur; amicitiis, ſcil. & officiis benignis, erga eos quos ſibi vel natura devinxit vel conſuetudo, quoſque pro temerario judicio maximi faciunt. Neque omnino ceſſando, aut hiſce ſolis voluptatibus fruendo, ſe foelices autumant: his adjungunt ſaepe actiones plures & officia, quae ſibi videntur honeſta. Quid

Quid memorem, voluptates corporis furtivis coloribus amicitiae, commoditatis, beneficientiae, ſaepe eſſe coopertas, atque elegantiorum artium voluptatibus conditas, ne cunctis viles videantur & erubeſcendae. Quid? quod rarius iis fruendis repugnare videatur decori, & honeſti ſenſus; quia ſaepiſſime, pro mira perturbationum fallacia, videantur hae voluptates innocuae. At contra, virtutes, propriâ ſua & vera dignitate ſe bonis commendant, eoſque faciunt beatos. Neque enim laſcivia, & luſu, & joco, comite levitatis, ſed ſaepe etiam triſtes, ſua bonitate, firmitate, & conſtantia, ſunt beati.

A luxurioſorum judico provocare licet, qui ventribus dediti, nunquam delectationes homine digniores, & honeſtiores, ex ſtabili probitatis & conſtantis virtutis ſenſu oriundas, experti ſunt. Malè verum hi corrupti judices examinant: nobiliores apud eos hebeſcunt ſenſus. Animi autem gravitas & conſtantia, virtuteſque omnes, ſenſus haud obtundunt externos. Sentiunt viri boni omnem in voluptate corporis jucunditatem, eâque ſpreta, virtuti adhaereſcunt; omne, aut longe longeque maximum, ſentientes in ea poſitum eſſe momentum ad vitam beatam. Honeſtis hominum iſtiuſmodi ſtudiis non ſe immiſcet voluptas; ne-

que ea commendat, quod ſint efficientia voluptatum. Immo ab ipſis potius laboribus, moleſtiis, periculis, commendatur virtus,

Per damna per caedes, ab ipſo
Ducit opes, animumque ferro.

Quin & luxurioſorum haec comprobantur ſuffragiis. Quotuſquiſque enim adeo perditi eſt ingenii, qui non praeclara aliqua virtutis ſpecie, magis quam ulla corporis voluptate, commovebitur? qui non amici cauſâ omittet voluptatem; aut ad famam tuendam, & contumeliam repellendam, non etiam labores ſuſcipiet & pericula? Quotuſquiſque ſolis hiſce corporis voluptatibus ſolitariis, ſe totum dare poterit, ſine ſocia ulla aut amica hilaritate? Qui rari reperiuntur, eos caeteri omnes, tanquam hominum monſtra, oderunt, & deteſtantur. Quam brevis eſt harum voluptatum ſenſus? qui nempe omnis ab ipſo appetitus pendet vigore, quo ceſſante, ceſſat voluptas; longa relinquens intervalla ingrata, & taedii plena, niſi honeſtioribus ſtudiis repleantur.

Monſtrat etiam ratio, quod obſervaſſe in hac quaeſtione multum profuerit, vitam temperati, & modeſti, honeſtis ſtudiis occupatam, donec naturales recurrant & vigeant appetitiones, ſaepe admittere eum, qui & tutiſſimus eſt, & laetiſſimus, humiliorum

liorum voluptatum ſenſum, quas nempe rarior ſemper commendat uſus. Adeo commoda, igitur, eſt naturae noſtrae ratio, tanta virtutis bonitas, tam lene imperium, ut non ab eo voluptatum humiliorum uſu, ſibi addictos cohibeat, qui, ratione rite ſubductâ, erit jucundiſſimus: licet hoc quidem imperet, ut vegeti conſerventur ſenſus animi nobiliores, reprimendiſque cupiditatibus, ubi virtuti obſtiterint, pares. At contra, dominante libidine, exiguus eſt, aut nullus virtuti locus; exulat omne gaudium illud, longe maximum, quod ex recti & honeſti ſenſu oritur, & bene merendi memoria: immo plerumque exulant humaniores ex artibus ingenuis voluptates.

V. Veniat deinceps in medium ea delectatio, quae ex vitae cultu, ornatu, & elegantia, oritur; quae, quamvis beluinis voluptatibus longe anteponenda, neque tamen eſt aut magna aut diuturna. Exigua haec praebere poteſt ſolamina malorum, quae vitam maxime vexant humanam; quales ſunt corporis morbi; aut animi, iis ſaepe moleſtiores; metus, ſcil. angores, ſolicitudines, moerores. Res ad vitae ornatum & ſplendorem ſpectantes, donec videntur novae, ſunt etiam gratae; jucunditatem autem imminuit uſus & conſuetudo. Conſuetorum ſaepe nos ſatietas capit, & taedium; novaque

que, pro mira in hac re ingenii mutabilitate, confeftim expetimus, innumeris nos objicientia curis, quorum etiam mox poenitebit.

Spectetur etiam quae ex artibus ingenuis percipitur voluptas; eaque humaniffima, quae veri cognitionem comitatur. Eam quidem cuilibet corporis voluptati longe anteferendam, teftatur ingenui cujufque fenfus: ftabilis etiam eft magis & diuturna. Libero igitur quovis tempore, quum nulla nos avocant officia honeftiora, quicquid curae aut operae huic comparandae impenditur, jure laudabitur; ejufque laeta erit recordatio. Haec tamen omnia vitam beatam non poffe praeftare, facile intelligitur; quum, neque digniffima fit quae ex his oritur delectatio; &, majori cuidam & digniori, quae ex virtute, officiifque exfurgit honeftis, & humano generi aut amicis profuturis, fua natura, inferviat omnis in artibus aut fcientiis peritia. Unde & fenfu omnium comprobabitur is, qui rerum vel praeftantiffimarum ftudia abjecerit, aut diftulerit, ubi amicis, aut patriae laboranti, eft fuccurendum; aut quum officio quovis amico & benigno ab iis ftudiis avocatur.

Quid? quod omnia haec amicam poftulant cum aliis conjunctionem. Liberalitatis, commoditatis, & bonitatis, in foelicitate cum

cum aliis communicanda, ſpecie quadam haec ornata, laeta nobis fiunt & glorioſa. Horum etiam fere omnia, peſſimis mortalium & miſerrimis, cum optimis eſſe poſſunt communia.

Finge homini haec omnia quae ad vitae ornatum ſpectant, una cum corporis voluptatibus, virgulâ divina eſſe ſuppeditata, eundemque ſaepe in rerum maximarum contemplatione otiosè occupari; quum, tamen, is nec quemquam amet, nec ab ullo ametur; nullusque apud eum locus ſit officiis ullis amicis aut benignis: aut finge naturales eum habere animi erga alios affectiones: omnes tamen ipſi propinquos, aut caritate conjunctos, eſſe miſeros: quis eouſque hominem ex homine exuit, ut talem ſibi optaret conditionem, eamve putet invidendam; & non potius aut miſerrimam, aut deteſtandam? Quid ſi huic ſubnaſcantur motus animi tetrici, invidentia, odium, ſuſpicio, metus; quae mentem benignis affectionibus vacuam plerumque occupant, quamvis in ſumma degatur rerum aliarum copia: omnino miſerrima erit haec vitae conditio, omnis liquidae voluptatis expers, & morte vel ſaeva magis metuenda.

At, contra, amica vitae ſocietas, amor mutuus, & fiducia, & honeſta officia, vitam

tam laboriosam, & aerumnosam, exoptandam efficere possunt, & laudabilem.

VI. PROGREDIAMUR ad alium beatitudinis aut miseriae fontem, sensum nempe communem, aut sympathiam; per quam ex aliorum conditione foelici aut misera, gaudia colligimus aut moerores; atque fatebuntur fere omnes, magnam admodum hinc hauriri posse vel beatitudinem, vel miseriam. Quis est enim, Deum testor & homines! qui non longè praetulerit liberorum suorum, propinquorum, amicorum, civium, libertatem, foelicitatem, virtutem, omni non solum corporis jucunditati, verum & omni, quae ex artibus, aut rerum cognitione, oriri potest? Quis non omnia haec lubens projiceret, potius quam eos videat in conditione vitae, vel misera, vel erubescenda? Ubi vigent & excoluntur animi affectiones, homini naturales, vix quicquam majus afferre potest, ad vitam vel beatam vel miseram, momentum, quam aliorum hominum status, & fortunae. Quanta malorum nostrorum aderit levatio, ex eorum foelicitate qui nobis sunt carissimi? Quantaque omnis nostrae vitae disturbatio, ex eorum miseria?

Hanc animi sympathiam omnino comprobamus: aliorum dolere infortuniis honestum est; neque hanc indolem nostram immu-

immutatam volumus, quamvis nobis moerores & luctus creet graves, ast haud erubescendos. Durum, contra, & ferreum ingenium, etsi his curis & moeroribus immunem, damnamus; immo miserum censemus, quia turpissimum.

Diuturna etiam esse possunt haec gaudia & moerores, prout eorum quos amamus, manet vita beata aut misera. Immo amicorum infortunia praeterita, longo post tempore, in memoriam, non sine gravi dolore possumus revocare. Hac etiam de causa, magnum affert hic sensus momentum, ad vitam beatam vel miseram.

Quae ex hoc fonte hauriri potest foelicitas, non est in nostra potestate, a providentia nempe pendens divina: hanc igitur nemo magis sibi praestare potest, quam humiliorem istam quae corpore percipitur. neque quicquam refert observasse, plurimos suo vitio aut culpa esse miseros, quamvis nihil ipsis externum desit. Enimvero hoc ipsum est miserrimum, & praecipue deplorandum, quod sua culpa tot sint miseri, vel quod omnem vitae beatae spem, in rebus vilioribus & caducis collocent. Qui se miseros putant, omnes sunt miseri; quamvis mutato ingenio, rebus externis non immutatis, beatis esse liceret.

Non aliud horum malorum datur perfugium,

fugium, non aliud tranquillitatis, aut ſtabilis gaudii fundamentum, animo vere benigno, quam ut Deum opt. max. mundi rectorem ſemper reſpiciat; ſolidis argumentis ſibi perſuaſum habens, omnia, conſilio ipſius benigniſſimo & ſapientiſſimo, in communem omnium foelicitatem adminiſtrari; omniaque quae conſpiciuntur mala, non plura aut majora eſſe, quam quae, in mundi univerſi ſalutem & perfectionem, exigit optima divini imperii ratio; quorum plurima tandem foeliciter cadent iis etiam ipſis quorum calamitates deploramus.

VII. Sequitur alius decori & honeſti ſenſus huic affinis, cujus eſt in vita momentum maximum: quod quiſque perſpiciet, qui aliquid in aliorum utilitatem ſtrenuè, amicè, piè, & fortiter geſtum, in animum revocare poteſt; atque obſervaverit quanto gaudio mentem perfundat hujus recordatio? Quo ſenſu ſpectet alios? quanta caritate, quo benevolentiae ardore eos proſequatur, qui in iſtiuſmodi officiis occupantur? quamque beatos eos eſſe aeſtimet, in ipſis laboribus & periculis, immo quum mortes ſubeunt pro amicis aut patria, pro vera in Deum pietate propaganda, voluntarias? Quae ſibi ſomnia vigiles fingunt homines otioſi, integram, pro ſe aut ſuis, depingentes vitae rationem, quam putant foeli-

foeliciſſimam, ſatis oſtendunt, nullam concipi poſſe vitae beatae rationem, ſine omnium fere virtutum officiis continuis & fortibus, inter labores & pericula inluſtratis. Haec a primis puerorum aetatibus menti alte infixa haerent. Teſtatur tota naturae noſtrae fabrica, nos ad agendum eſſe natos; atque in agendo ex virtute, beatitudinem reperturos ſummam, prae qua ſordent voluptates.

Quanto deinde gaudio, ſumma cum tranquillitate & fiducia conjuncto, expletur vir bonus, qui Deo ſe ſimilem praeſtare, quantum fieri poteſt, conatus, eum ſibi propitium habet, rectorem, patremque, & remuneratorem munificentiſſimum: qui omnia benigniſſimo illius numine regi vertique credens, lubens fidenſque amplectitur omnia quae eveniunt; ea optimo eſſe conſilio deſtinata, atque ſibi etiam profutura, compertum habens; qui ſummam novit & amat bonitatem, in eaque delectatur contemplanda & imitanda.

Huc accedit, quod diuturna ſunt, & permanentia gaudia, quae ex recti conſcientia oriuntur, & officii prudenter gnaviterque peracti. Labores honeſtos, & moleſtias brevi tranſituras, excipit recordatio glorioſa, & laetiſſima. Officiorum honeſtorum nunquam taedebit virum bonum; immo e-

jus

jus accenditur magis quotidie animus, ad nova ejuſmodi officia peragenda, & clariora. Accedat & gaudium haud leve, quum de eorum foelicitate gratulamur, quibus profuerunt noſtra officia; proborum omnium comprobationes & laudationes, pro meritis ſperandae; laetaeque ſpes, omnia a Deo hominibuſque conſequendi, quae ad ſecuritatem faciunt aut proſperitatem. Neque ulli deeſſe poſſunt honeſtiorum officiorum opportunitates, ſi quiſque pro ſua conditione ei rei unice ſtudeat. Ubi inopi & imbecillo bene de hominibus, in rebus externis promerendi, occaſio deeſt; poteſt hic, hominibus optima quaque comprecatus, atque verae pietatis, & humillimorum officiorum exemplo, pro virili profuturus, pia cum fiducia & gaudio, divinae ſe providentiae curandum permittere.

VIII. Hunc ſenſum conſequitur laudis & vituperii ſenſus acerrimus. Laus quidem & gloria, ubi anteceſſerat honeſtas, acceſſione haud ſpernendâ complebit vitam beatam: per ſe autem parum efficiet. vanum enim & leve eſt ingenium, quod falſus honor juvare poterit. Vera quidem gloria radices agit & propagatur; falſa vero omnia tanquam floſculi decidunt. De falſo honore nemini exploratum eſſe poteſt eum in veſperam duraturum. Veritatis tan-

ta

ta eſt vis, ut ſaepe ſupra hominum opinionem, ſive ad infamiam refellendam mendacem, ſive ad virtutem calumniis oppreſſam vindicandam & illuſtrandam, mirum in modum, valeat. Quumque actiones ſolum honeſtas laus naturâ inſequatur, bene ſanum ſuadebit & impellet omnis ea famae & gloriae appetitio, ad vitam ex virtute degendam, atque ad omnia officia honeſta obeunda.

IX. Ne denique ſilentio tranſeamus eam foelicitatem qualemcunque, quae in leviore quadam eſt ſita laetitia aut hilaritate, ex jocis, ludiſque, & riſu orta; hoc obiter monendum; ſi non mentis omnino hebeſcat acies, projiciaturque omnis homine digna ratio & meditatio, atque ſumma ſubnaſcatur rerum maximarum incuria turpiſſima; non alia ratione quam per virtutis & officiorum omnium conſervationem, hominem ſibi vel tranquillitatem vel hilaritatem poſſe polliceri. Ubi enim vel turpitudinis ſuae conſcientia ulceratus eſt animus, vel vigent maligni & tetrici animi motus, virtutibus contrarii; aut metus & ſuſpiciones, vitiorum comites aſſidui; nullam is liquidae voluptatis cujuſcunque partem guſtare valebit. Non abs re in hoc negotio dixeris,

Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis acescit.

Stabilis enimvero erit, & vera animi hilaritas, omni ingenuo joco, ludoque perfruendo idonea, ubi comitem habet ingenii humanitatem, morum mansuetudinem, mentem sibi recti consciam, & amicam cum bonis vitae societatem. Quicquid igitur est in his rebus expetibile, illud omne etiam ad virtutes omnes excolendas cohortabitur, & ad omnia vitae officia conservanda.

X. Quod ad opes attinet & potestatem; quicquid in illis est expetibile, ad eadem omnia sanum quemque incitabunt; quùm aliorum gratiâ & benevolentiâ, eaque fide, quam nobis apud eos comparamus, & comparentur opes facillime, & conserventur. Neque opes quamvis magnae, contra hominum odia & invidiam possessorem tueri poterunt. Haec autem cum non propter se appetantur, verum ad alia quaedam referantur, ex iis quae de praestantissimis diximus voluptatibus, de vera rerum utilitate, & vitae foelicitate, constabit, eos potentiae aut divitiarum fructum capere tutissimum, & simul honestissimum, qui ad liberalitatem eas referunt & beneficentiam.

Quum autem omni animanti hic imprimis

mis a natura datus ſit appetitus, ut ſe vitamque ſuam conſervet, de eo pauca hic dicendum. Hic autem, ut plerique alii, nimius eſſe poteſt. Neque ipſum vivere adeo per ſe expetendum eſt, ac beatè vivere. Conſtat etiam vitam aliquandò minime eſſe exoptandam; ubi ſcil. cum gravi turpitudine aut ignominia, & ſcelerum atrociorum conſcientia, eſt conjuncta, aut cum gravioribus corporis cruciatibus. Mortem ſibi cariſſimi exoptaret amicus, ubi non aliter haec illi effugienda forent mala. Moriendum eſt omnibus; & id incertum, an eo ipſo die: prudentis igitur ſaepe eſt, & ſibi conſulentis, vitam gravibus periculis ultro objicere, quum hoc poſtulet ſanctum aliquod vitae officium, ne propter vitam vivendi ſolam perdere velit cauſam. Obſirmandus igitur eſt animus contra mortis terrores; qui enim mortem ſemper impendentem timet, quî poterit animo conſiſtere? hac autem praecipue ratione eſt obſirmandus, ſi ab adoleſcentia ſit ſeriò meditatum, poſt mortem, ſi modo ea deleantur animi, ſenſum fore nullum; certe igitur non moleſtum: at ſi non deleantur; quod ſpondet & Dei benigniſſimi providentia, & ipſa animi natura pene divina; bonis omnibus ſenſus erit optandus; atque hanc

vitam caducam & aerumnoſam, excipiet ea quae ſola vita eſt nominanda.

In eo igitur conſpirant omnia quae diximus, ut doceatur vitam beatam eſſe ſitam in ipſa virtute, aut in agendo ex virtute praeſtantiſſima; quae tamen complenda eſt ex modicis ſaltem corporis & fortunae bonis. Sufficit per ſe virtus ad vitam beatam; quae tamen eſt cumulanda vitae perfectae proſperitate, ut fiat beatiſſima.

XI. Confirmabitur etiam haec ſententia uberius, ſi contentio fiat & comparatio malorum, quae variis hiſce bonis oppoſita, diverſos hominum ſenſus afficiunt. Atque primo, licet corporis dolores majores habeant impetus, quam ejuſdem voluptates, ut ad ſe conſervandos acriori ſtimulo incitentur homines; extremum tamen malorum non ſunt cenſendi. In errorem inducuntur homines, quod ſaepe turpitudinem aliquam leviorem, ipſo periculi imminentis metu quodammodo imminutam, comparare ſoleant cum corporis cruciatibus graviſſimis. Quorundam tamen facinorum tanta eſt turpitudo, tanti ſunt aliquando conſcientiae ſemet damnantis cruciatus, tamque ſaeva verbera; tanti etiam moerores & luctus ex eorum qui nobis ſunt devinctiſſimi miſeria, ſubnaſcentes, ut omnes longe ſuperent corporis dolores, & ſtatum efficiant longe miſerrimum. Quod

Quod ad durationem attinet, breves fere ſunt corporis dolores, ut & ejus voluptates. Si longus ſit dolor, aut laevior eſt, aut pluribus intervallis, dolore vacuis, plerumque diſtinctus. Graviſſimi dolores nequeunt eſſe diuturni, quia morte delentur. Praeteritorum, ubi nihil ſimile in poſterum timetur, haud moleſta, immo potius ſuavis eſt recordatio, quandoque etiam glorioſa.

Voluptatibus elegantioribus, ex formarum ſpecie perſpecta, ex ſonorum harmonia, & imitationibus artificioſis, iiſque quae ad vitae ornatum referuntur & elegantiam, ortis, nulli ſunt naturâ dolores contrarii. Voluptatis, enimvero non doloris, hi ſenſus nati ſunt miniſtri. Ubi quidem acriora ſunt harum rerum deſideria, aut ubi ex iis gloria captatur, moleſtum erit homini de ſpe ſua decidere; grave erit abſentium deſiderium. His vero rebus plane carere, non neceſſariò affert moleſtiam; cum multis ſit vitae ſtatus tranquillus & foelix, qui ea non habent; unde neque curant habere.

Gravior ſaepè eſt ea quae ex aliorum infoelicitate oritur miſeria, cui neque ulla voluptatum, aut rerum externarum, copia, levamen afferre poteſt. Nec gravis ſolum, verum etiam diuturna ſolet eſſe ea moeſtitia; quum omnis, de amicorum aut dilectorum graviore infortunio aut dedecore, cogitatio,

 ſemper

ſemper futura eſt moleſta. Non alia hujus aegritudinis ſaepe reſtat conſolatio, quam quae depromitur ex ſtabili in Deo opt. max. omnia gubernante, fiducia.

Omnium tamen malorum graviſſimum eſt animi depravati, ſceleriſque ſui ſenſu vexati, turpitudo; quae nempe hominem ipſum ſibi odioſum facit, ſuumque ingenium, quod ſibi maxime eſt intimum, vile ſibi reddit, & pudendum, & deteſtandum. Diuturna etiam eſt ea aegritudo miſerrima; quum omnis ſcelerum ſuorum aut flagitiorum recordatio, homini ſit gravis & erubeſcenda; eamque moleſtiam vix, ac ne vix quidem, morum emendatione, aut damni dati reparatione, poſſimus tandem exuere. Hanc comitantur ſolicitudines, metus, angores: atque prout peſſime de aliis ſumus meriti, vigebit continua de Deo hominibuſque ſuſpicio, ne pro meritis nobis rependant.

Huic naturâ conjuncta eſt infamia, quae ſi modo vera, graviter, etiam & diu excruciat animum, omnemque excludit verae amicitiae, aut gratiae apud alios conſequendae ſpem.

Haec omnia oſtendunt, non ſine cauſa placuiſſe veteri Academiae & Peripateticis, beatitudinem eſſe Ενέργειαν κατ' ἀρετὴν ἀρίστην ἐν βίῳ τελείῳ. Quod ſummum bonum eſt *formale*, quod dicitur. Quum

Quum igitur vitam ſecundum virtutem actuoſam, oſtendimus eſſe ſummum bonum; inquirendum eſt accuratius quaenam ſint virtutes, quaeque ex virtute actiones, & erga quos ſint exercendae.

In recti & honeſti explicatione, docuimus animi virtutes eſſe benevolos voluntatis motus, & conſilia agendi ex propenſa in alios voluntate: praeſtantiores deinde eſſe eas animi affectiones benignas, quae tranquillae ſunt; eamque praeſtantiſſimam quae patet latiſſime: interque praeſtantiſſimas numeravimus ardentem virtutis ipſius amorem, ſummam animi in ea delectationem, ejuſque excolendi ſtudium; cui conjunctus eſt erga omnes virtute praeditos amor ardentior, & erga honeſtiſſimum quemque ardentiſſimus; unde pietatis in Deum elucebat honeſtas ſumma, & quantopere ad eam ſanctiſſime colendam teneamur.

Inter virtutes mediocres aut infimas, recenſentur & caritates arctiores, quas, vel natura conſtituit vel conſuetudo: clariores tamen illae, quas morum excitavit bonorum ſimilitudo: unde & amicitiae elucet ſanctitas, ubi eam gignit conſervatque virtutum ſignificatio. Laudabilis etiam & decora eſt erga quoſvis comitas, moreſque manſueti & benigni.

Virtutibus etiam annumerantur illi habi-

tus

tus qui nobiliores animi vires perficiunt, qui cum benigno ingenio ſunt natura conjuncti, eique inſerviunt; aut qui denique libidines aut perturbationes quaſcunque virtutibus obſtantes reprimunt, excludunt, aut ſuperant; hoſque omnes, tanquam per ſe honeſtos, comprobamus. Solertiſſimo enim conſilio, ita a Deo fabricata eſt mens humana, ut animi vires & affectiones eo magis comprobet, idque proximè & per ſe, quo majus habent momentum ad totius humani generis foelicitatem. Hinc etiam comprobantur arctiores benevolentiae affectiones & caritates, in vita admodum neceſſariae, ubicunque majori plurium non obſtant utilitati. Comprobatur animus ſimplex, ingenuus, & fallere neſcius; abſtinentia etiam, continentia, & fortitudo; quae ſcil. animum oſtendunt honeſti ſenſu acriore imbutum, atque voluptatum, dolorum, & utilitatum externarum deſpicientia confirmatum. Quaedam etiam decori ſpecies cernitur in eo corporis motu & ſtatu, qui virtutum exhibent indicia: contrariae autem omnes ſive animi ſive corporis affectiones diſplicent, odioque dignae cenſentur.

Quid, quod ſenſu quodam, a jam memorato quidem diverſo, aſt non prorſus diſſimili, comprobantur & animi & corpo-

ris

ris vires habitusque, a virtutibus voluntariis omnino diversi. Quas homini dedit Deus vires, earum, usum qui maxime est secundum naturam, vitaeque humanae utilissimum, nobis etiam natura commendavit. Unde & comprobantur studia cognitionis, atque artium elegantiorum; diligentia item & industria, & in laboribus perferendis patientia. Hominem etiam magis decere videntur exercitationes illae, quae vel ingenium ostendunt acrius, & sublimius; vel corporis vires augent & confirmant: quae, contra, animi, corporisve mollitiem produnt, honestis, & laboriosis officiis inutilem, eae parum decorae.

Eadem igitur vitae beatae summa, quae & virtutum. Ut nempe Deum toto amemus animo, & homines stabili prosequamur benevolentia, omnesque animi corporisque vires quae communi inservire possint utilitati, studiose excolamus.

XII. Ex animis autem nostris hoc nunquam excidere debet, nos totos a Deo pendere, omnesque & animi & corporis perfectiones, ipsasque virtutes omnes, a Deo ad nos pervenisse; & sola Dei provida tutela conservari posse & foveri. Quumque honestum omne ingenium aliorum prospiciat & consulat foelicitati, quae omnis a Deo pendet, quamque nullae hominum

num vires praestare possunt; nullum certè laetae spei, tranquillitati stabili, aut solido gaudio, potest substerni fundamentum, praeter solam, in Deo, quem optimum novimus & maximum, fiduciam; quâ nosmet, nobisque caros, immo mundum universum ipsius permittimus providentiae, de omnium rerum benignissimâ administratione securi. Recte igitur dixerunt philosophi scholastici ipsum Deum esse summum hominis *bonum* quod vocant *objectivum*; ex quo cognito & amato exsurgit bonis omnibus summa foelicitas.

CAPUT III.

De variis Virtutum Divisionibus.

Virtus, voce laxius acceptâ, omnem notat in re quacunque vim, quae naturae sentientis foelicitati inservire potest: arctius accepto vocabulo, notat habitum aliquem vires animi perficientem. Hoc modo dividuntur virtutes in intellectuales, quae omnem in artibus & scientiis ingenuis animi culturam continent; & morales, quae κατ' ἐξοχὴν virtutes vocantur, & voluntatem perficiunt; quae praecipuè sunt ethici fori.

Aristotelici hoc praecipue spectantes, quod

quod variis animi perturbationibus, sive passionibus immoderatis, a recto tramite abripiamur, quum interea hi omnes naturae impetus sive instinctus, provido Dei consilio, in aliquam vitae utilitatem insiti fuerint; virtutem definiverunt "habitum deliberativum in mediocritate situm, secundum rectam rarionem." Ex hoc virtutis haud levi officio, quod ab extremis excessuum aut defectuum, animi motus, qui saepe solent esse immodici, cohibeat; in virtutibus explicandis percurrerunt varias passiones, earumque varios gradus, justo vehementiores, aut languidiores; medios monstrantes esse tutissimos & utilissimos, & maxime decoros; quos volunt esse virtutes. Has autem omnes, prout sunt internae animi affectiones, ad quatuor reducunt capita, quae *cardinales* appellantur virtutes; prudentiam, justitiam, temperantiam, & fortitudinem: ex quibus animi affectionibus praestantissimis, tanquam ex fontibus, manare voluerunt reliquas omnes virtutes.

II. PRUDENTIAM volunt esse attentum & sagacem dijudicandi habitum, inter ea quae in vita prodesse possunt aut nocere, rerum usu & meditatione comparandum, & conservandum; qui quidem ad omnia fere officia rite obeunda est necessarius.

Fortitudinem dicunt virtutem animum contra

contra omnes in officio obeundo labores & pericula obfirmantem; quaeque metus omnes aut vanos aut nimios reprimit; rerumque humanarum parit despicientiam, perspectâ earum natura; omnes scil. utilitates externas prae ipsa honestate, & laeta recti conscientia, cujus Deus testis erit & comprobator, sordere: nihilque hominem tantum timere aut fugere debere, quam vitia omnia, & animi depravati turpitudinem: quumque omnibus brevi sit moriendum, mortem, vel immaturam, cum honestate conjunctam, esse vitae inhonestae & ignominiosae longe anteponendam: unde & excelsus dicitur animus, & magnus, nulla re externa concutiendus.

Temperantiam autem describunt, virtutem quae humiliores omnes appetitus, corporis voluptatem consectantes, cohibet & regit; quibus nempe voluptatibus, tanquam esca, ad turpia plurima alliciuntur homines, honestaque officia deserere coguntur. Huic praecipue adjungunt decori & pulchri in dictis, factis, consiliisque, conservandi studium, cui maxime obstant humiliorum voluptatum illecebrae. Atque prout motus perturbatos, sive ορεξιν αλογον, dividunt in ἐπιθυμιαν & θυμὸν; huic imperare & modum ponere volunt fortitudinem, illi temperantiam.

Omnium

Omnium vero virtutum principem, cui inserviunt caeterae, volunt justitiam; quae est habitus animi, communi utilitate conservatâ, suam cuique tribuens dignitatem. Hujus ambitu includunt omnes animi affectiones benignas, quibus amica conservari potest hominum consociatio; aut aliquid conferri in aliorum hominum utilitatem: quales sunt liberalitas, beneficientia, amicitia, benemerentium grata memoria, comitas, mansuetudo, patriae caritas, atque ipsa in Deum pietas, qui civitatis antiquissimae & sanctissimae, cujus caeterae sunt partes, rector est & parens. Priorum trium virtutum natura, ex iis quae de summo diximus hominum bono, & earum rerum quas appetimus comparatione, innotescet: justitiae natura, ex iis quae de vario hominum jure sunt dicenda.

III. HAS quanquam virtutes volunt esse inter se necessario conjunctas, in gradu etiam *temperantiae*, sive medio, aeque ac in *heroico*; ex singulis tamen quaedam propria deducunt officia, idque non inconcinne. alia tamen videtur ratio & facilior & magis a natura. Sed haec hactenus.

Neque moramur in Aristotelis mediocritate examinanda, quae quamvis cognitione haud indigna sit, primariam tamen virtutis aut honesti notionem non attingit. At-

que licet non solum in appetitionibus humilioribus, aliisve nobilioribus, quibus quisque suam tantum spectat utilitatem, verum etiam in arctioribus benevolentiae vinculis, mediocritas quaedam, ab extremis excessus aut defectus utrinque reducta, sit laudanda; nullus tamen potest esse excessus in iis animi propensionibus quae sunt honestissimae; amore nempe & veneratione Dei opt. max, caritate illa quae totum complectitur humanum genus, aut in ipso virtutis amore, si modo verae adsint de virtute sententiae.

IV. UTILIOR forte, & magis a natura petita, & facilior, alia videbitur divisio, pro eorum erga quos virtutes sunt exercendae diversitate, in pietatem erga Deum, & bonitatem erga homines: tertium adjungi potest genus, earum virtutum quae suam cujusque respiciunt perfectionem. Atque licet nihil sit in ipsa philautia praeclari aut honesti; neque aliter hominis erga se officia sint venusta & laudanda, quam quatenus referuntur, vel ad pietatis vel ad bonitatis officia; horum tamen consideratio non est omittenda, cum aliis omnibus officiis peragendis, homines magis reddant expeditos & idoneos.

Hanc divisionem persecuturis, prima se offert pietas erga Deum; quae consideranda

da est, ut ipsius innotescat & natura, & ad vitam beatam momentum: proximae veniunt virtutes erga homines alios: & denique, ea sui cultura quae & pietati & humanitati exercendae inserviet.

CAPUT IV.

De VIRTUTIBUS & OFFICIIS erga DEUM.

DUABUS partibus absolvitur omnis erga Deum pietas, ut scil. veras foveamus de Deo sententias, & cultum praestemus hisce sententiis consonum. Veras de Deo sententias docet metaphysica, aut ea pneumatologiae pars, quae theologia dicitur naturalis. Deum nempe esse ens primum, & a nullo alio pendens; omni perfectione absolutum, & infinitum; potentissimum, sapientissimum, & optimum sive benignissimum, mundi universi creatorem, fabricatorem, moderatorem, omnisque boni fontem inexhaustum. His, in ethicis, utimur ut concessis, anquirentes de iis animi affectionibus, & cultu sive interno sive externo, qui sint his sententiis consoni.

Monstrabit cujusque sensus, tantam naturae primae praestantiam, & amplitudinem infinitam, omni admiratione, & celebratione, summaque animi submissi veneratio-

ne, esse accipiendam. Quumque nulla homini sit appetitio magis naturalis illâ veri cognoscendi, rerumque causas perscrutandi, maximarum, & cognitione dignissimarum; nullum erit hominis opus, Dei cognoscendi studio, virtutumque divinarum venerabunda contemplatione, aut honestius aut jucundius. Neque quidem, sine ea naturae praestantissimae cognitione, eximiae intelligendi vires, a natura datae, satis exerceri possunt aut expleri.

II. Quod ad moralia attinet attributa, quae dicuntur: numen omnium primum & benignissimum, quod pro infinita sua vi, bonitate, & sapientia, omnia solertissime fabricaverit, dans suam rei cuique naturam, vires, sensus, appetitus, rationem, ipsasque virtutes; largaque manu suppeditans quibusque, ea omnia quae ad voluptatem, aut beatitudinem, naturae ipsorum accommodatam, facere possunt; animo agnoscendum est gratissimo, amore gratuito, comprobatione & laudatione, laetaque spe & fiducia, ab omni arrogantia & superbia purgata. Si plenior habeatur bonitatis divinae & sanctitatis ratio; quod omni virtute & bonitate delectetur; quod bonos omnes comprobet & amet; omnibus hinc effulgebunt bonis spes laetiores, major & laetior fiducia, cum ardentiore virtutis & Dei

ipsius

ipſius amore; ſtabilique ſecuritate, & tranquillitate animi, ſe ſuaque omnia, divinae permittentis providentiae. Exiſtet etiam Dei imitandi ſtudium, iiſque qui in Deo ſunt, ſimiles fovendi animi affectiones; & ſtabile ſimul conſilium ea omnia, pro virili, agendi, quibus explere valeamus munus quod nobis impoſuit Deus & natura; ſive cadat fortuna ſecunda, ſive adverſa.

Haec Dei, ob omnem virtutem & bonitatem gratuitam venerandi, colendique, contemplatio, quem teſtem animo intuetur, & comprobatorem, virum quemque bonum perducet ad καταληκτικὸν illud, ſummum puriſſimae virtutis apicem, ut in ipſo Deo imitando & amando, munuſque nobis aſſignatum obeundo; in ipſa denique virtute, & officiis, omnem, aut longe praecipuum officiorum fructum petendum cenſeat. Neque ſine ea Dei agnitione, eoque in Deum animo, poterit vir bonus & benignus quicquam fidenter ſperare, vel de ſe, vel de ſuis quos habet cariſſimos, aut de rerum univerſitate. Neque ſatiari poteſt aut expleri ipſa virtus, omni hominum generi benigne proſpiciens, aut ipſe honeſtiſſimus virtutis amor & comprobatio, ſi non natura reperiatur aliqua, omni virtute perfectiſſima; in qua cognita, amata, & redamante, poteſt vir bonus conquieſcere; ſeque,

ſuos omnes, & totum hominum genus, illius providentiae benignae ſecurus committere.

Ad Deum ſuâ naturâ referuntur ſubli- miores animi vires: a Deo ortae, ad Deum nos revocant & retrahunt, rationis vires egregiae, animi affectiones & caritates omnes latius diffuſae, ipſe decori & honeſti ſenſus & amor. His vinculis ad Deum aptatur & alligatur natura omnis ratione praedita, cui nobiliores animi ſui partes, curae eſt excolere. Neque Deum tantum ideo amat, quod ex eo ſibi ſperet foelicitatem: ex ipſa enim virtutis omniſque praeſtantiae comprobatione, eoque ſenſu quem homini inſeruit natura, per ſe, & ſua ſponte, gratuitus effloreſcit amor, & veneratio eorum in quibus conſpiciuntur virtutes, nulla ſuae utilitatis habita ratione.

Quum vero voluntatis motus, & propenſiones omnes vegetiores, ſua ſponte ſe exerant, atque viciſſim exercitatione vigeant & augeantur; ſaepius, & ſtatis temporibus, exercenda eſt pietas, in officiis honeſtiſſimis & laetiſſimis, Deum contemplando, & laudando, gratias ei agendo; nos, noſtraque, ipſi, ſecura cum fiducia permittendo; ejus & auxilia implorando, ut animos virtutibus excolere, & mores emendare, omniaque honeſta vitae officia obire valeamus.

amus. Enimvero, perfectissimum illud omnis virtutis exemplar saepius recolendo, accendetur omnis honestatis studium ardentius.

III. HACTENUS de cultu interno. Natura autem nihil amat solitarium; sua sponte coram aliis prorumpunt animi motus, & quasi contagio alios afficiunt. Non secreto solum, verum palam etiam, & publice colendus est Deus, ut magis vigeat nostra pietas; similisque in aliis sensus excitetur; eamque beatitudinem & perfectionem cum aliis communicemus.

Commendantur & haec officia sua utilitate: cuique prosunt, quod suam cujusque augeant pietatem; ex communi vero omnium pietate, omnes ad omnia vitae munera obeunda promptiores longe fiunt & alacriores, & ab omni improbo & iniquo coërcentur. Atque inde est quod semper apud homines invaluit haec persuasio, ad homines in officio continendos, atque ad eorum conjunctionem & consociationem tuendam & conservandam, plurimum posse religionem.

Quum cultus omnis externus sit piorum animi affectuum declaratio; patebit, in his cultum praecipue versari, ut Dei laudes celebremus, easque aliis illustremus; ut gratias palam agamus, nostramque in eo fiduciam

fiduciam profiteamur; ut precibus, in solemni hominum coetu, invocantes, ejus potentiam, providentiam, & bonitatem agnoscamus: ut delictorum confessione, misericordiam imploremus & veniam; nos denique totos ipsi ducendos, regendos, & emendandos permittamus.

CAPUT V.

De OFFICIIS erga alios HOMINES exercendis.

QUAE erga homines exercendae sunt virtutes & officia, eodem recti honestique sensu cernuntur & commendantur; atque ad eas virtutes fovendas & exercendas, variis impulsionibus naturalibus incitamur. Insita sunt cuique benigniorum plurima affectionum genera, pro diversis hominum conjunctionibus & necessitudinibus, a natura constitutis. Maribus & foeminis mutuos inseruit natura amores, non tam beluinam respicientes voluptatem, quam amicam vitae societatem, summa ea caritate devinctam, quam virtutum opinio utrinque accenderat, quarum indicia edere solet & ipsa corporis pulchritudo. Insitum est sobolis procreandae desiderium, & procreatae praecipua cura, & amor eximius & singu-

ſingularis: haec ſubſequuntur fratrum, ſororum, ſobrinorum, conſobrinorum, & etiam affinium, caritates.

Quin & ſubtiliora quaedam ſunt ſocietatis vincula. (1.) Boni bonos, moribus inter ſe ſimiles neceſſario diligunt, quaſi propinquitate conjunctos & natura. (2.) Beneficiis ultro citro, datis acceptiſque, magis inter ſe devinciuntur homines. (3.) Serpit latius benevolentia in familiaritatibus & viciniis, ubi ulla eſt virtutum, vel vulgarium, ſignificatio. (4.) Porrigit ſe etiam ad cives; ubi plures, ratione monſtrante, communis utilitatis cauſa, ſub uno imperio ſunt conjuncti. (5.) Atque tandem complexu ſuo totum continet genus humanum, & ſi qua ſunt alia animantium genera ſuperiora. (6.) Hiſce conjuncta eſt miſerorum commiſeratio, & ſublevandi ſtudium; atque cum foelicioribus, ubi nulla intervenerat ſimultatis cauſa, laeta congratulatio.

Per ſe & ſua ſponte comprobantur hi motus benigni; in iis quiſque ſibi placet; lubens iis, tanquam naturae accomodatis, indulget; & ſimiles quoſque in aliis comprobat & veneratur. Contrarii autem motus, qui ſaepe in homines cadunt, ira, odium, invidentia, ultionis appetitio, & malevolentia omnis, ſunt proximè & per ſe moleſti; in iis recordandis nemo ſibi placere

cere, aut ſimiles in aliis comprobare poteſt: ſaepe ſunt erubeſcendi & deteſtandi; quumque videntur & juſti & neceſſarii, nihil in ſe continent aut laetabile, aut glorioſum.

Satis docuimus quantum hae affectiones benignae, cum officiis quae ex iis fluunt, ad vitam beatam conferant. Norunt omnes, qui non exuta humanitate induerunt beluae feritatem, ſine mutuo amore, benevolentia & beneficientia, vix ullam percipi poſſe foelicitatem: neque vitam ſolitariam, quantumvis copioſam, homini eſſe vitalem. Stabiliores & latius patentes quaſque animi affectiones benignas, diximus eſſe honeſtiores. Neque tamen ad vitam beatam ſufficient, ſine actione, voluntates ignavae, quamvis benignae: vires enim inſitas excolere & exercere eſt laetiſſimum; propenſamque voluntatem naturâ ſequuntur actiones & officia benigna.

Haec igitur eſt virtutum ſociarum ſumma, ut quiſque humani generis fovens caritatem, communi omnium pro viribus conſulat foelicitati: atque interea, arctiores omnes, in variis vitae neceſſitudinibus, propenſiones foveat, ſingulorum quorumvis, quod patitur communioris ratio, inſerviens utilitati & foelicitati.

Quum autem paucis, communi omnium utilitati

utilitati propius inserviendi, vires & occasiones suppetant; quisque tamen aliquid in propinquorum, amicorum, vicinorum, aut civium utilitatem, conferre queat; (qua ratione etiam communi humani generis inserviet foelicitati;) in arctioribus hisce officiis rectè versamur, ubi communiori non adversantur utilitati, neque officiorum latius patentium adest opportunitas. Immo in eo naturam sequimur & Deum, qui arctioribus hisce naturae vinculis, alios longe aliis fecit nobis cariores, nostraeque curae & benevolentiae praecipuae commendavit.

Haud igitur reprimendi, aut imminuendi, arctiores hi diligendi sensus, in vita, & jucundi saepe, & necessarii. Immo omnes fovendi potius & augendi, ut cujusque est momentum ad communem omnium utilitatem. Quae tamen latissime patet benevolentia, ea praecipue fovenda, ipse etiam honesti amor, atque stabile Deo in omnibus obsequendi studium; quibus moderatoribus subjectae caritates arctiores, virtutis carmen optime absolvent. Hoc etiam sua cujusque utilitas postulat; quum, ut plenius mox docebitur, ita nati sunt homines, ut sine aliorum ope & auxilio, sine mutuo officiorum commercio, singuli suae saluti, nedum vitae foelicitati aut jucunditati, consulere nequeant. Atqui, amicis praecipue

pue officiis & beneficientia, conciliandá est aliorum benevolentia; eorumque studia, ad nostram utilitatem amplificandam, adsciscenda. Contrario autem animi habitu, sordidâ philautiâ, multoque magis vi & injuriis, alienantur a nostra utilitate vicinorum animi; nascuntur odia, & diffidia; mala insuper omnia ab omnibus nobis infensis merito metuenda. Immo existunt in animis nostris affectus tetrici & molesti, continuae vigent suspiciones, & metus non vani: quum ad injurias propulsandas & ulciscendas incitentur, non solum hi quos injuriae proxime tetigerunt, verum intacti, quibus super conditione communi est cura.

Amicitiam hoc loco indictam transire, vetat & ipsius honestas & utilitas: quam admirabilem benevolentiae magnitudinem qui ab indigentia ortam volunt, ut quod quisque minus per se consequi possit, id accipiat ab alio, humilem illi tribuunt & minimè generosum ortum, & fundamentum parum firmum: quum, commutatâ utilitate, tolleretur omnis ex hoc fonte profluens amicitia: quae omnis fucata foret simulatio, non vera benevolentia.

Oritur igitur amicitia ex naturali ea honestatis, quam saepius memoravimus, comprobatione: cujus ubi fit significatio, inter eos quibuscum vivimus, per se efflorescit

ſumma caritas & benevolentia. Sua enim ſponte bonos boni diligunt adſciſcuntque ſibi, quaſi propinquitate conjunctos & natura. Quae caritas, beneficiis ultro citro datis acceptiſque, ita augetur, ut nulli naturae conjunctioni cedat: atque ea omnia quae nobiſmet, amicis etiam, ipſorum cauſa, exoptamus.

Quum autem mali, naturâ mobiles & varii, neque aliis, neque ſibi diu placere poſſint; ſolos inter bonos ſtabilis poteſt eſſe amicitia; quippe quam ſola virtus aut gignere poteſt aut continere. Unde conſtabit, honeſta tantummodo ab amicis poſtulanda, aut amicorum rogatû facienda; ne ſubducto fundamento, corruat amicitia. Eſt igitur amicitia, animorum moribus & honeſtate ſimilium, mutua cum caritate arcta conjunctio; quae, cui contigit, ei eſt optimus & jucundiſſimus, ad virtutem & vitam beatam, comitatus. Quid enim dulcius, quid utilius, quam habere virum probum & prudentem, quicum omnia audeas ſic loqui ut tecum? Quis eſſet tantus fructus in proſperis rebus, niſi habeas qui illis, aeque ac tu ipſe, gauderet? Adverſas vero ferre difficile eſſet, ſine eo, qui illas gravius etiam quam tu ferret: & in utriſque, prudentia ſua & conſilio ſibi opituletur. Amicitia quoquo te verteris praeſto

 eſt:

eſt: nullo loco excluditur, nunquam intempeſtiva eſt aut moleſta: nam & ſecundas res facit ſplendidiores, & adverſas, partiens communicanſque, leviores.

De benignis autem omnibus animi affectionibus ſedulò obſervandum, quod, quamvis nimia eſſe nequeat, quae latiſſime patet erga omnes, benevolentia; neque nimius Dei opt. max. aut verae virtutis amor; amores tamen arctiores, quos vel accendit ſanguinis conjunctio, vel conſuetudo, quantumvis per ſe venuſti, nimii aliquando eſſe poſſunt, neque viro bono penitus probandi. Duplex eſt amor, alter *benevolentiae*, quo aliis bene eſſe volumus; alter comprobationis aut dilectionis; quae dicitur *complacentia*; quo moribus aliorum delectamur, & eorum frui cupimus conſortio. In priore, non adeo facile extra oleas vagamur; ſi modo ſemper adſit debita divinae providentiae animi ſubmiſſio, & juſta in Deo fiducia; atque ſi, pro dignitate ſuâ, magis vigeat ea quae ad omnes pertinet benevolentia; ita ut nunquam amici utilitati, majorem plurium, aut digniorum, aut omnium communem, poſthabeamus. De complacentia vero, qui locus magis lubricus, & amicitiae vicinior, ſedulo cavendum ne in indignos feratur; ne ad turpia nos alliciat; nevè ita totum occupet hominem, ut amico

amico amiſſo, aut gravioribus calamitatibus implicito, concidat planè animus, caeteriſque omnibus humanitatis aut pietatis officiis fiat ineptus. Enimverò praecaventur optimè haec incommoda, non reprimendo amores hoſce ſanctos, etſi arctiores; ſed potius ſummam erga Deum venerationem & amorem fovendo, ſpemque praecipuam in eo locando, & fiduciam; ſimul & curas cogitationeſque, animo aequiore, porrigendo, ut in aliis etiam ſimiles cernamus virtutes, iis haud inferiores, quas in amicis tanta cum delectatione admirabamur.

CAPUT VI.

De Officiis cujuſque erga ſe, & de Animi Cultura.

Quum pleraque erga ſe officia, ſuae cuique utilitatis ratio commendet, ea non aliter honeſtam & laudabilem induunt ſpeciem, quam ſi ad Dei cultum, aut aliorum utilitatem referantur. Quod ſi fiat, nulla erunt ſanctiora aut magis laudanda.

Animi cultura in his praecipue vertitur, ut mens veris imbuatur ſententiis circa res ad officium pertinentes; atque quam maximam ſibi comparet rerum digniorum ſci-

entiam; quae omnis eſt frugifera, conferens aliquid ad bene beateque vivendum, cùm ſua jucunditate non levi, tùm quod ducit ad virtutes divinas illuſtrandas, & faciliorem officiorum cognitionem & functionem. Enimverò, ſpecies ab intellectu repraeſentatas ſequuntur fere voluntatis motus. Addiſcendum igitur, recte ea aeſtimare quae appetitus ſtimulare ſolent; perſpiciendumque quid quaeque ad bene beateque vivendum afferant, & qui ſint fines bonorum & malorum; quibus cognitis, inventa eſt totius vitae ratio. Altè igitur infigendum, quod ſupra attigimus, ſummum hominis bonum eſſe ſitum, in ipſa pietate erga Deum, & erga homines benevolentiâ & beneficientiâ.

Natura idcircò divina, omneſque ejus virtutes immenſae, pro viribus explorandae; praecipuè quae venerationem noſtram, âmorem, fiduciamque alliciunt. Delendaeque omnes opiniones aut ſuſpiciones, voluntatis cujuſvis aut conſilii in Deo, quae ſummae ipſius ſapientiae, aut bonitati, humano generi conſulenti, adverſantur.

Sedulo etiam diſcendum eſt, quid homines ſimus, quos Deus eſſe velit, quod munus, quam perſonam, communem aut cuique propriam, impoſuit; ut Deum ſequamur, & naturam, unicum ad vitam beatam ducem. In-

Intrandum eſt in naturam humanam; aliorum etiam indoles, agendi principia, & conſilia, perſpicienda; ne deteriora fingamus aliorum ingenia, quam recta monſtrabit ratio. His enim perſpectis, praecidentur plurimi motus animi tetrici & maligni, ira, odium, & invidia; fovebitur humanitas, commiſeratio, placabilitas denique omnis, & clementia.

Profuerit etiam ſaepius hoc reputare, quod ex animo excidere nunquam debet, Dei providentia, vel efficiente, vel ſanctiſſimè permittente, omnia evenire: quaeque aſpera videntur & injurioſa, aut contumelioſa, ea materiam eſſe, virtutibus bonorum divinioribus, objectam, in qua ſe exerceant & augeant. In ipſis autem virtutibus ſummum eſt bonum.

Rerum autem aliarum adhibenda eſt deſpicientia; quam comparabit quicunque ſedulo perpenderit, quam viles, ſordidae, fluxae, & caducae, ſint corporis voluptates, quaeque res iis inſerviunt, atque ipſa quidem corpora! Quam exigua ſint gaudia, quam parum neceſſaria, quae ex vitae cultu & ſplendore percipiuntur; quamque etiam incerta; quot curis paranda, & quam cito ſatietatem aut nauſeam allatura! Deinde, quam imperfectae ſint omnes ſcientiae, ad novas obſcuritates, ancipiteſque

cogitandi curas, & tenebras, animum ſubinde ducentes impeditum; noſtramque, de rebus fere cunctis, detegentes caecitatem aut hebetudinem! Quantula res ſit gloria, ab ignaris ſaepe immerito collata; aevi brevis & incerti ſpatio fruenda, per exiguam terrae partem permeans, cum omni laudatorum & laudantium memoria, aeterna nocte mox obruenda! Ut brevi praecidamus; humana omnia fluxa, incerta, putida, brevis dieculae ſpatio interitura, in immenſo & utrinque porrecto aeternitatis oceano, mox abſorbenda. Quid enim eſt in hominis vita diu? cedunt & dies & menſes & anni: cuique moriendum eſt; & illud incertum, an hoc ipſo die: quumque advenerit ſupremum tempus, omne quod praeteriit effluxit: tantum remanet quod virtute & recte factis conſecutus ſis; beatae immortalitatis ſpem praebens laetam, quae ſola animum vera fortitudine confirmare, & divini imperii juſtitiam & bonitatem illuſtrare poteſt. Quemadmodum autem in caeteris artibus, praecepta percepiſſe parum eſt, neque quicquam magna laude dignum, ſine uſu & exercitatione, conſequi poſſumus; in ethica, quae eſt ars vitae, multo magis, rei magnitudo uſum quoque exercitationemque deſiderat. Suum igitur arrogent ſibi juſtum imperium

mens

mens & ratio, vireſque animi paene divinae, in appetitus omnes humiliores; eoſque regere & reprimere aſſueſcant. Quod quidem continuam ferè, in degenere hoc humani generis ſtatu, flagitat meditationem, attentionem, & diſciplinam interiorem; cui plurimum conferent officia pietatis erga Deum, adoratio, preces, delictorum confeſſio, & pia vota.

Ad virtutes plenius intelligendas, & a vitiis ſecernandas, atque ad animum virtutibus exornandum, haud parum conferet virtutes recenſere, earumque characteres & nomina ſignata; atque oſtendere vitia illis oppoſita, ubi peccatur in appetituum naturalium vel exceſſu vel defectu, inter quos mediocritatem ſervant virtutes. *Paſſionum* ſive perturbationum explicatio ad pneumatologiam pertinet. Singulas enumerare, earumque diverſos gradus laudandos aut vituperandos, & horum characteres praecipuos & ſigna, longam exigeret diſputationem & variam. Enimverò optime coletur omnis virtus, ubi verae foventur, quas diximus, circa res omnes humanas, quae appeti ſolent, ſententiae; eaeque crebra meditatione alte ſunt infixae; atque uſu & diſciplinâ, partes animi praeſtantiores humilioribus imperant.

Hoc interim monemus de appetitibus ſive

ve perturbationibus, earum nullam eſſe, ſimpliciter & in toto genere, damnandam; nullam eſſe, quae non inſignem aliquando vitae hominum afferat utilitatem; quum ſaepè ipſius cui ineſt, ſaepe aliorum, ad quos forte attinet, inſervire poſſit commoditati. Fieri quidem poteſt, ut naturae praeſtantiori, cui majores ſunt animi vires, inutiles eſſent futuri motus iſtiuſmodi perturbati; hominibus tamen ſaepe ſunt neceſſarii. Eſt cujuſque appetitus ſtatus quidem medius, ſaepe & utilis & venuſtus. Qui non ad eam mediocritatem perveniunt, homini ipſi, hominumve ſocietati minus ſunt utiles. Qui verò exultantes, ſive cupiendo ſive fugiendo, finem & modum tranſeunt, ſunt ipſi homini, cui inſunt, & moleſti & turpes, vitaeque hominum inimici, & ſaepè peſtiferi.

Mediocribus igitur appetitionibus, & ab extremis utrinque reductis, honeſta virtutum nomina ſunt impoſita, ut & extremis, vitiorum inhoneſta. Mediocribus tamen quibuſdam, deſunt ſignata nomina; unde incautè ſtatuerunt quidam, quoſdam eſſe animi affectus prorſus malos, & per ſe damnandos. His tamen vitioſis affectibus reſpondent & innocui quidam, ejuſdem generis, gradus, & neceſſarii.

Modicum, exempli cauſa, vitae conſervandae

vandae ſtudium, eſt & neceſſarium, & haud moleſtum. Ubi hoc deficit, exiſtit ingenium audax, temerarium & incautum, ipſi homini ſaepè inquietum, ſaepe peſtiferum, & humanae etiam ſocietati. Ubi nimium eſt hoc ſtudium, exiſtit metus, & puſſillanimitas, & ignavia; & hominum ſocietati inutiles affectus, & ipſi cui inſunt moleſtiſſimi; eum omnibus injuriis, & contumeliis, & dedecori objicientes.

Modicae voluptatum appetitiones ſunt & utiles & neceſſariae, neque homini moleſtae. Ubi exiſtit ἀναισθησία, parum vitae jucunditati proſpicitur. rarius tamen ab hac parte peccatur. Ubi nimia eſt cupiditas, quae luxuries aut intemperantia dicitur, excluduntur fere omnia vitae gaudia honeſtiora; neque famae & honeſtati, neque ſanitati, aut rei familiari, aut ipſi vitae conſervandae, conſulitur; ipſaque haec indoles tantum non continuis obnoxia eſt moleſtiis.

In rebus utilibus duae verſantur virtutes; frugalitas nempe, quae prudens eſt rei familiaris cura; & liberalitas, quae nos ad bene faciendum facit proclives. Illa, huic omnino eſt neceſſaria: utraque eſt jucunda, & utilis, & honeſta; prior tamen utilitati magis inſervit, poſterior honeſtati. Prioris exceſſus, & poſterioris defectus, eſt avaritia; qua vix ullum eſt animi vitium aut foedius

aut

aut moleſtius; rerum copiam appetens neque neceſſariam, neque unquam utendam; ſummis ſaepe malis comparandam, curaque majore & metu ſervandam. Frugalitatis defectus & liberalitatis exceſſus, eſt profuſio aut prodigalitas; rei familiari peſtifera, neque vitae jucunditati, aut ſaluti conſulens, neque ipſi, quam praecipue appetere ſolet, famae.

Liberalitatis apex eſt magnificentia, ubi prudenter, honeſta de cauſa, magni fiunt ſumptus. Ab hac deficit parci & avari, ſibi ingrata & moleſta, liberalitatis affectatio. Modum ſuperat, hominum parum elegantium aut ornatorum ἀπειροκαλία, & inutilis & indecora.

Fortitudinis, ad eundem modum, apex eſt magnanimitas; ſive animus altus, conſtans, & rebus externis inconcuſſus, ſolam in omnibus ſpectans honeſtatem. Cui ab una parte opponitur audax ſuperbia & arrogantia; animi affectio homini ipſi moleſtiſſima; neque aliorum, neque ſuae, aut ſaluti, aut libertati, aut famae ſatis conſulens: ab altera, opponitur puſillanimitas, aut formidoloſum ingenium, inutile & moleſtiſſimum.

De potentiae appetitione, eadem fere omnia dicenda; modicam utilem eſſe viro bono, minimèque moleſtam; nimiam au-

tem, molestissimam & turpissimam; sibique & aliis periculosam. Ubi justo languidior est, opportunitatibus oblatis, deseritur & honestatis locus, & virtutis.

Laudis appetitus modicus, nihil ferè dicere attinet, quantam praestet utilitatem, si simul major sit virtutis. Nimius tamen, est inquietus, & molestus, omnemque ipsius virtutis veram imminuit gloriam & inquinat: ubi abest omnis, deest etiam stimulus, ad officia honesta suscipienda, saepe haud inutilis.

Neque ira omnis & iracundia damnanda; licet nulla admodum sit venusta. Injuriarum, quae rarior esse solet ἀναισθησία, satis foret homini incommoda, eum nempè contumeliis & petulantiae objiciens; neque suae prospiciens famae, neque suorum saluti. Iracundia quae nimia, est & ei cui inest molestissima, & saepe pestifera; neque ullus est animi affectus hominum societati perniciosior.

Justa quaedam, & homine libero digna est indignatio, cum ad opes aut honores provehuntur indigni. Cui nulla inest hujusmodi affectio, parum sibi, aut suis, aut patriae est prospecturus: ubi tamen est nimia, aut non justa de causa, (quae invidia dicitur, unde nascuntur odia inveterata;) deterrima est animi rubigo, ei cui inest & moles-

moleſtiſſima, & turpiſſima, omnia ſaepe miſcens divina & humana.

De his autem omnibus, quae irae ſunt affines, aut malignae videntur, animi affectionibus, hoc omninò tenendum, iis non amplius indulgendum quam exigit ſui aut ſuorum conſervatio, aut communis utilitatis cura: quibus quidem, ſi abſque irâ ſatis conſuli poſſit, nihil in ira erit laudabile aut venuſtum. Contra, lenitate & manſuetudine, placabilitate & clementia, nihil amabilius, nihil honeſtius.

Quae *homileticae* dicuntur virtutes, comitas, urbanitas, concinnitas, ſuavitas, Ευτραπελία, facetiae, ſunt omnino laudandae & decorae, hominum conjunctioni conſervandae aptiſſimae. His oppoſita ſunt utrinque vitia. Ab una parte, ſervile ſcurrae ingenium, omnia ad voluptatem aliorum loquentis, & aſſentantis, atque ad obſcenos aut illiberales deſcendentis jocos; ab altera, gravis, inconcinna, & agreſtis rixantium aſperitas, quae nullam iis, quibuſcum vivitur, exhibet reverentiam, quaeque inani libertatis ſpecie commendatur. Horum vitiorum incommoda non attinet dicere; quum ſint & per ſe invenuſta, & ſaepe peſtifera.

De verecundia breviter monendum; eam ex ipſo recti & honeſti ſenſu acriore ſubnaſci;

nasci; & in junioribus spem dare ingenii foelicissimi, ad omnem virtutem optime subornati. Ubi nimia tamen est in aetate matura, hominem ab officiis honestis capessendis saepe cohibet: ubi aut exigua est aut nulla, deest virtutis & honesti custos potentissimus.

Qui haec omnia uberius explicata legere cupit, consulat Aristotelem, & Aristotelicos. Hoc obiter monemus, quum tot verae virtuti utrinque immineant fata, summa opus esse cura, attentione, & disciplina; ut cohibeantur aut regantur hi animi motus perturbati; ut vigeat semper decori & honesti sensus, & recta ratio; nobiliores etiam & tranquillae voluntatis affectiones, quae & suam cujusque, & humani generis communem spectant foelicitatem.

Neque corporis omittenda est cura, cujus vires & valetudo, temperantia & exercitatione, conservandae atque augendae; ut rationi obedire possit, in omni labore perferendo, quem exigunt officia honesta.

Quumque parum humano generi prodesse possunt hi, qui non artem aliquam maturè didicerunt, in qua se exerceant; eligenda cuique est ars ingenio apta, aut vitae institutum, licitum, & humano generi profuturum. Neque hoc munere eximendi sunt illi, quibus tantae suppetunt facultates, ut

quaestus faciendi causa hoc non sit necessarium. Enimvero illorum praecipuè est, publicae consulere utilitati, juris, legumque peritiam, aut politicam prudentiam comparare, aut eam rerum humanarum notitiam, quibus, vicinis omnibus, consilio, opibus, gratia, & auctoritate prodesse possint; ne inutilia sint terrae onera, frugibus tantum consumendis nati.

Artium autem quaeque, quo major ei inest prudentia & ingenii solertia, & quo major ad vitam communem quaeritur utilitas, eo est honestior. Ob utramque causam commendantur doctrina rerum honestarum, jurisprudentia, medicina, studia militaria, & caeterae elegantiores. Ob utilitatem, & non levem ingenii solertiam, commendatur mercatura copiosior, & artes quaedam mechanicae. Agricultura vero, nulla innocentior, nulla dulcior, nulla homine, nulla libero dignior.

In arte eligenda, totâque vitâ constituenda, ad suam cujusque naturam & ingenium, consilium est omne revocandum. Ad hanc enim rationem, quoniam maximam vim natura habet, fortuna proximam, utriusque omnino ratio est habenda, in deligendo genere vitae, sed naturae magis; multo enim est firmior & constantior.

Philo-

PHILOSOPHIÆ MORALIS

LIBER II.

JURISPRUDENTIAE NATURALIS

ELEMENTA.

CAPUT I.

DE LEGE NATURALI.

QUO melius intelligantur hominum inter ſe officia & jura, praemittenda eſt doctrina generalior, complicatas quaſdam, in ethicis, notiones evolvens & explicans; quam proxima tria capita exhibent.

Primas honeſti & turpis notiones, in libro ſuperiore, ex hominis conformatione deduximus; ex quibus conſtiterit, ea omnia recte fieri, poſſideri, aut ab aliis poſ-

tulari, quae vel ad communem omnium faciunt utilitatem, vel singulorum propriam, nemini nocentem, communique utilitati non repugnantem. Unde dicitur quisque *jus* habere, ad ea omnia agenda, habenda, aut ab aliis consequenda: quique impediret ita agere aut habere, aut quod ita postulatur praestare recusaret, *injuriam* facere diceretur.

Altius verò rem repetenti patebit, hanc naturae nostrae fabricam, clara continere indicia voluntatis Dei, alias hominum actiones jubentis, alias vetantis. Quumque id usu compertum sit, homines non semper suo marte, ast aliorum monitis, saepius scire quae sunt vitae profutura aut nocitura; prudentiorum enim judicio & monitis, cognitionis & prudentiae humanae bona pars innititur; quumque hominum quosdam caeteris multò esse solertiores, fatebuntur & ipsi qui minus sapiunt; jubet ἡγεμονικὸν illud cuique infixum, ut coetus hominum numerosiores, in communem conjuncti utilitatem, prudentioribus quibusdam omnium permittant rectionem, cogantque renitentes, ut eorum jussis obsequantur, qui hoc legitimum nacti sunt imperii jus. Hinc omnibus nota est justa imperandi potestas, sicubi ex ipsa imperii delati forma & modo satis constet, nulla fore imperantibus ad

peccan-

peccandum invitamenta, aut ſpem ſaltem nullam aut exiguam, imperio ſibi permiſſo in populi perniciem abutendi. Hinc etiam cuique notiſſima eſt *legis* vis & natura, quae eſt " jure imperantis voluntas, ſubditis " declarata, actiones alias jubens, alias ve- " tans, praemiis propoſitis & poenis."

II. QUUM autem conſtet, Deum eſſe & optimum & maximum, conſtabit etiam, ad omnium communem, & cujuſque propriam pertinere foelicitatem, ut omnes Deo, ſive jubenti, ſive vetanti, pareant; cui ſanctiſſime devinciuntur, ab ipſo creati, conſervati, boniſque plurimis munificentiſſimè cumulati. Conſtabit etiam, omnia juſſis Dei adverſantia, communi etiam adverſari foelicitati, animumque prodere ingratiſſimum. Unde & manifeſtum eſt, Deum jure pleno, virtutibus ſuis perfectiſſimis innixo, imperium ſibi in omnes vindicare.

Aſt quum homo, nè ſuae quidem prudentiae, multo minus ſtabilis & ſincerae bonitatis, fidem apud alios facere queat; quippe quam ſaepe imitaretur obſcura malitia, nullo certo indicio a verâ bonitate ſecernenda, ſiquidem ea ratione ad imperia aſcendere daretur: quumque nullum imperium ſuſpectum & formidatum, populo de ſua ſalute dubio, utile aut laetum eſſe poſſit; non ex prudentiae ſuae aut bonitatis

opinione eximia, recte imperium sibi arrogabit homo, si absit eorum consensus qui imperio subjiciuntur, neque ipsis satis cautum sit, ne potestas assumpta in populi perniciem convertatur.

III. Quumque porro hominum fabricator Deus, eum recti & honesti sensum nobis inseruit, easque rationis vires, quarum ope, observatâ nostra, rerumque aliarum naturâ, intelligere possumus quaenam communi omnium, & propriae cujusque inserviant utilitati, quaenam eidem obsint; & simul perspicere, benigna vitae officia, ipsi, qui iis fungitur, fore plerumque utilia, contraria vero inutilia; obtinebunt haec omnia rectae rationis praecepta, sive *dictata practica*, vim legis a Deo jussae, sancitae, & promulgatae.

In omni lege duae sunt partes, *praeceptum*, & *sanctio.* Prius jubet aut vetat: posterior monstrat praemia iis tribuenda qui legi paruerint, poenasque eos manentes qui eam violaverint. In legibus civilibus, praeter praemia quibusdam propria, hoc commune est, ut qui paruerint, omni civium jure, & communibus vitae civilis commodis, fruantur. Poenae verbis disertis, plerumque sunt annexae. Legum naturalium sanctiones innotescunt, quo modo & praecepta. Omnia nempe animi gaudia,

spes-

ſpeſque laetae, virtutes ſuâ natura comitantes; omnes item utilitates, ſive ſponte ab honeſtis officiis naſcentes, ſive ab hominum comprobatione & benevolentia ſperandae, ſive ab ipſo Deo; ſive in hac vita, ſive in illa quae inſecutura eſt; ſunt legum naturalium praemia. Poenae ſunt, mala omnia interna aut externa, ex vitiis ſua ſponte naſcentia, animi morſus, inquietudines, ipſique metus moleſtiſſimi; omnia denique, quae a Deo, hominibuſve infenſis, recta docet ratio, eſſe metuenda.

IV. Lex etiam divina, pro varia promulgandi ratione, vel eſt *naturalis*, vel quae *poſitiva* dicitur. Naturalis per rationem, rerum conſtitutionem obſervantem, *innoteſcit*; poſitiva, ſignis inſtitutis, voce, nempe, aut ſcripto promulgatur.

Leges voce promulgatae aut ſcripto, ſunt ratione materiae, vel *neceſſariae*, vel *non neceſſariae*. Utilitatem aliquam communem ſpectare debet, & ſolet, omnis lex. Aliae tamen leges monſtrant ejus conſequendae rationes unicas & neceſſarias, adeo ut contrariae leges inutiles eſſent aut peſtiferae; aliae, inter diverſas rationes, quarum nulla omnino incommoda, optimas eligunt; aut inter aequè commodas, unam; ubi exigit vita communis, ut in una quadam plures conveniant. Quod uſu venit in

in locis, temporibus, aliisque ejusmodi constituendis, ubi pluribus commune negotium simul est obeundum. Hae dicuntur etiam, ratione materiae, *positivae*; illae *naturales*:

V. LEGES fere omnes, praecipue naturales, totum respiciunt populum, vel omnes ex certo ordine. Inter homines nonnunquam feruntur privilegia, eaque vel in gratiam, vel in odium. Est privilegium, lex privata, unum aut paucos respiciens. Si ob merita praeclara, in gratiam feratur privilegium, neque communi obsit utilitati, est justum. Incidere potest, licet rarius, ut in odium scelerati & malitiosi, justum irrogari possit privilegium.

Aequitas, sive Ἐπιεικεία, est legis correctio & emendatio, ubi verba, legum causis non sunt adaequata; magis, utpote, aut minus quam par est porrecta. Locum habet hoc aequitatis genus, tantum in legibus quae verbis enunciantur. Lex naturalis, non verbis, ast ratione duce, omnia ex aequo & bono determinat.

VI. *Dispensationes*, quas vocant, invexit *jus canonicum*, quibus aliquis legibus solvitur. Harum varia sunt genera; dantur enim exemptiones, sive immunitates, vel a praecepto, vel sanctione. Ubi quidem ita delicti admissi datur venia, aut tollitur

sanctio,

ſanctio, ut communi interea ſatis conſulatur utilitati, legumque conſervetur vis & majeſtas, nihil eſt in eo iniqui. Iſtiuſmodi diſpenſationes nonnunquam largiendi poteſtas, ſummis plerumque permittitur civitatum rectoribus. Praecedens verò, a praecepti juſti vinculo immunitas, aegerrimè admittenda.

Aſt (1.) nulla intelligitur eſſe diſpenſatio, ſi quis, eo uſus jure quod ipſi leges tribuunt, aut poteſtate quavis ſibi per leges permiſſa, vicini perimat obligationem, aut novam ipſi imponat. Ut ſi creditor debitum remittat; aut civitatis rector ea agat quae jure poteſt, per ſe, vel per alios ſuo mandato inſtructos.

(2.) Legibus aliquando minimè iniquis, ſive divinis, ſive humanis, datur quibuſdam immunitas a poenis externis, quas actionibus parum honeſtis promeruere; ubi pro populi hebetudine, vel moribus pravis, non alia ratione, graviora praecaveri poſſunt mala. At neque hoc volunt eſſe *diſpenſare.*

(3.) Nulla rectoris cujuſvis permiſſione, aut juſſu, vel pravi animi motus fieri poſſunt boni, vel ex bonis mali: neque magis immutari poteſt actionum, ex animi virtutibus aut vitiis manantium, natura. Diſpenſationes igitur a praeceptis, quas volunt canonici, tantum ſunt juſtae, quando leges

leges ipsae sunt aut improbae aut stolidae: quarum ingentem farraginem invexit jus canonicum.

VII. Jus naturale, quum legum multitudinem in corpus quoddam compositam sonat, aliud dicitur *primarium*, aliud *secundarium*. Non tamen ex propositionibus evidentibus & noeticis, constat prius, neque ex dianoeticis solis, posterius: quae enim ex certis sequuntur praemissis conclusiones, pariter sunt certae & immutabiles: neque alio sensu est utilis haec distinctio, quam quum, quae ad vitam tolerabilem sunt omnino necessaria, praecepta dicuntur primaria; quae autem ad vitae ornatum, & uberiorem foelicitatem faciunt, secundaria. Neque in foro Dei, sunt haec prioribus mutabiliora; quamvis violantibus saepius detur immunitas a poenis externis.

Ex iis quae in libro superiore sunt dicta, patebit officia nostra omnia, prout lege quadam naturali, a Deo praecepta, duabus monstrari legibus primariis; quarum prima est, *Deum esse colendum*, cum quo conjunctum est, quod ei in omnibus sit obsequendum. Altera est, *communi omnium utilitati & foelicitati, & singulorum quorumvis, dummodo ea communiori aut majori non adversetur, esse prospiciendum.* Quod ut fiat, hominum societas & conjunctio amica est omni-

omnino tuenda & conſervanda, ut ex mox dicendis patebit. Hac autem de cauſa, actiones omnes, quibus quiſquam ſibi, aut ſuis ita benefacit, ut aliorum utilitati non obſit, ſunt omnino licitae; quum, qui uni prodeſt parti, caeteris inviolatis, toti etiam proſit ſocietati. Deinde, quum ſint utilitates plurimae & voluptates, quas ſibi aut ſuis, in certo rerum ſtatu, comparare poſſunt homines, quaſque iis ſalvas praeſtari, nec ab aliis hominibus impediri, auferri, aut intercipi, humanae intereſt ſocietatis; quum id ad amicam hominum conjunctionem conſervandam pertineat; ad has utilitates aut voluptates capiendas, cenſentur homines habere jura, ſecunda, quam diximus, lege naturali planè conſtituta, aut munita: quippe quae jubeat & confirmet, quae quicquam ad communem omnium, aut ſingulorum, ubi nemini nocetur, conferunt utilitatem: haec igitur omnia jurè fieri dicuntur. Vix idcirco commodius tradi poterunt leges naturae, quae dicuntur, ſpeciales, quam explicando omnia quae vel ſingulis hominibus, hominum coetibus, aut denique humano generi competunt, aut competere poſſunt jura; quae omnia lege aliqua ſpeciali ſunt munita.

CAPUT II.

De Juris Natura & Divisionibus.

PRAETER eam juris significationem, quam memoravimus, alia est ejus acceptio; *qualitatem quandam moralem* homini competentem notans. Qua autem ratione, ex recti & honesti sensu, oriatur haec juris notio, nulla legis cujuslibet habita ratione, satis est dictum. Cognita autem lege naturali, quae omnia continet rectae rationis praecepta, sive dictata practica, expeditiores erunt, & breviores rerum moralium definitiones, quum ad legem referuntur; atque eundem praestabunt usum, si modo hoc teneamus, leges omnes naturales, communem omnium utilitatem, & singulorum, communiori utilitati non adversantem, unicè spectare.

Jus igitur est, "Facultas homini lege "concessa, ad aliquid agendum, haben-"dum, aut ab alio consequendum." Non tamen juris omnis notio primaria includit vel legis concedentis rationem, vel communis utilitatis ab eo proventurae. Recti enim & honesti sensu, atque sensu cujusque commu-

communi, comprobabitur, quicunque, nemine laeſo, vel ſibi vel ſuis prodeſt, ſive agendo, ſive occupando, ante legem ullam, aut communiorem utilitatem ſpectatam. Ex ſingulorum foelicitate exſurgit communis omnium foelicitas. In ſuam cujuſque, & ſuorum utilitatem, cuique inſeruit Deus, naturales appetitus & caritates; comprobantur etiam, aut ſaltem non damnantur, conatus ex his orti; idque per ſe, ubi non alterius adverſantur utilitati, neque ſenſui aut appetitui nobiliori obſtare videntur. Hinc & jure ſuo quiſque ea agere aut occupare cenſetur, ex quibus nullum aliis oritur damnum; ipſi vero qui agit aut occupat, iiſve quos caros habet, naſcitur emolumentum.

Hoc tamen omnino tenendum, nullum eſſe jus privatum, ad quicquam agendum, habendum, aut conſequendum, quod communi omnium utilitati eſt contrarium: haec enim omni, ſive ſingulorum, ſive coetuum, juri, modum ponere debet.

II. Quumque hominum ſaluti, ne de vita dicamus copioſa & jucundâ, neceſſaria ſit plurium conjunctio, ubi vigeant commercia, & mutua auxilia; (quod quidem ſatis notum eſt omnibus, neque diſputatione eget:) quae ad hominum conjunctionem amicam, & conſociationem, tuendam ſunt

neceſſaria, ea lege naturali omninò jubentur: quaeque ſocietatis tuendae ratio exigit, ut cuique permittantur agenda, habenda, aut ab aliis conſequenda, ea, dicitur quiſque, jure ſuo agere, tenere, aut poſtulare.

Juri omni reſpondet lex quaedam, jus illud conſtituens aut confirmans, atque *obligatio.* Dicimur obligari ad aliquid agendum, aut alteri dandum faciendum, cum internus cujuſque ſenſus eas actiones, aut praeſtationes, eſſet comprobaturus, omniaque contraria, tanquam turpia & foeda, improbaturus. Eâdem ratione intelligitur *obligatio* ad abſtinendum: hoc ſenſu, ante legem latam, intelligitur obligatio. Alia vocis acceptione, omnis referenda eſt ad legem obligatio, & praecipuè ad divinam; quum ſcil. notat "graviſſimum, ex ſuae "utilitatis ratione, invitamentum, ad ali"quid agendum, aut omittendum, homini "propoſitum:" quod legibus praecipue fieri poteſt divinis. Atque huc recidunt fere omnes obligationis definitiones, quas afferunt illi, qui eam omnem ex legibus ortam volunt: neque aliud ſonant metaphorica illa, *vinculum juris, neceſſitate aſtringens;* aut, *neceſſitas abſoluta homini impoſita.*

III. Jura, pro diverſa ad ſocietatem tuendam & excolendam neceſſitate, dividuntur

duntur in *perfecta*, & *imperfecta*. Priorum tanta est necessitas, ut, iis communiter spretis & violatis, disturbanda foret omnis hominum societas & conjunctio. Sunt igitur hujusmodi jura omnibus per vim conservanda & defendenda; eorumque violatio poenis gravissimis est coercenda.

Imperfecta quae dicuntur jura, ad societatem excolendam & ornandam, plurimum nonnunquam conferunt; atque ad ea praestanda, quae jure imperfecto exiguntur, sanctissima saepe est obligatio; sunt tamen ejusmodi, ut graviora sequerentur incommoda, si non cujusque pudori & honestati, haec permittantur praestanda, aut negligenda; in his cuique religiose observandis, & praestandis, elucent illae bonorum virtutes, quibus praecipue laus & gloria comparatur.

Non vero facilè definiuntur limites inter jura omnia perfecta & imperfecta. Sensim enim, & per innumeros gradus, ascendimus a levissimo quoque jure imperfecto, per graviora & sanctiora, ad ea quae a perfectis vix secerni possunt; prout varii sunt hominum necessitudines, & merita, & dignitates, quibus innituntur jura imperfecta. Debentur viro cuivis innocenti, licet alienigenae, quaedam humanitatis officia; sanctiore jure ea postularet civis, aut vicinus; multo

multo ſanctiore propinqui, amici, fratres, parentes; quae tamen omnia inter jura recenſentur imperfecta.

Tertium addi poteſt, juris fucati potius, quam veri, genus, quod dicitur externum; quum, ſcil. utilitatis cujuſdam remotioris ratio exigit, ne impediantur homines quaedam agere, poſſidere, aut ab aliis depoſcere, quae tamen parum honeſte, aut non ſine turpitudine, in ea cauſa, agi, poſſideri, aut flagitari poſſunt. Hae juris ſpecies inanes, nulli viro bono placiturae, ſaepe oriuntur ex contractibus temerariis, aut ex legibus nonnunquam civilibus, minime damnandis.

Patet interea, nullam eſſe poſſe pugnam inter vera jura, ſive perfecta, ſive imperfecta: ſaepe tamen juri imperfecto obſtare poteſt jus externum: imperfecta autem non ſunt per vim aſſerenda, aut vindicanda; nequit igitur eſſe bellum utrinque juſtum.

IV. In duo etiam genera dividuntur jura, prout alienari poſſunt, aut non poſſunt. Prioris generis ſunt ea, quae & verè tranſferre valemus, quaeque tranſlata, aliquem praebent in vita uſum. Ubi alterutra deficit conditio, alienari nequeunt jura. Patet igitur internas animi, de religione & cultu Dei, ſententias, & affectus internos, quum utraque deficiat conditio, ab omnibus pac-

tis

tis & legibus esse immunes: suo enim cuique judicio necessario utendum; neque utile esse potest, quemquam, contra animi sui sententiam, quicquam profiteri; aut in Deo colendo ea agere, quae ipse putat esse impia aut vana.

Ex generali hac de jure doctrina, efficitur duo esse primaria, in societate tuenda, praecepta. (1.) "Nequis alterum laedat;" aut dolorem aliquem aut molestiam, hominum societati neque necessariam neque utilem, alteri creet. Dein (2.) "ut quisque "pro virili, in communem utilitatem ali-"quid conferat;" suorum saltem, aut vicinorum utilitati consulens. Atque qui societatis aut systematis parti cuivis prodest, nullo aliis illato detrimento, toti etiam prodest societati.

CAPUT III.

De Virtutum & Vitiorum Gradibus, inter se comparatis.

Conscientiae nomen decantatum, primario denotat ipsum honesti & turpis sensum; aut saltem, hunc ei semper

anteceſſiſſe ſenſum, neceſſe eſt; ſine quo nulla cerneretur honeſti aut turpis ſpecies. Hoc autem poſito, ratio monſtrabit, quaenam ſint actiones externae, quae laudandas aut damnandas indicant animi affectiones. Vulgo definitur conſcientia, "judicium hominis de actionibus ſuis, quod "ad moralem attinet ſpeciem," ſive de actionibus ad legis praeſcriptum examinatis. Dicitur vero actio homini imputari, ſive laudi aut vitio verti, quia ex ipſius voluntate orta, ingenium ejus indicat eſſe honeſtum aut turpe.

Conſcientia eſt vel certa, vel probabilis; dubia, vel ſcrupuloſa; quae ex ipſis vocabulis ſatis innoteſcunt. Quum de agendo deliberamus, dicitur *antecedens*; quum de praeteritis eſt judicium, dicitur *ſubſequens*.

Viri boni conſcientia antecedens, anquirit de momento quod habet actio quaevis, ad omnium, aut ſingulorum utilitatem; quae bonitas dicitur *materialis*. Ea enim, ratione materiae, eſt bona actio, quae lege praecipitur, aut communi inſervit utilitati, quocunque demum animo fuerat ſuſcepta. *Conſcientia ſubſequens* ſpectat, etiam, quo animo, quo conſilio, actum erat; in quo ſita eſt *bonitas*, quae dicitur, *formalis*. Actio enim, legi in adjunctis omnibus conformis,

formis, vel quae ex honestis animi affectionibus profecta est, *formaliter* est *bona*.

II. QUAE in virtutibus & vitiis comparandis spectantur adjuncta, vel ad intellectum referuntur, vel voluntatem, vel rei ipsius quae agitur momentum, una cum agentis viribus pensitatum.

Hic autem ante omnia constat, eas solas actiones laudi verti, aut vitio, sive imputari, quae ab homine fiunt sciente & volente, quaeque si nollet, non fierent: easque tantum omissas imputari, quae si studium non defuisset, fieri poterant: quae, etiam *liberae* dicuntur, & solae ingenii vel honesti vel turpis, sunt indicia. Necessaria igitur, quae nobis vel insciis, vel nolentibus, eveniunt, non imputantur: neque *impossibilia*, quae dicuntur, omissa; quae, nempe, etiamsi quis maxime vellet, fieri non poterant. Non tamen idem de iis dicendum, quae ipsum tantum hominis ingenium, aut animi motus vehementiores, fecerunt necessaria; aut quae ideo tantum impossibilia sunt, quod ea sit hominis indoles, ut ea neutiquam velle possit.

Quae inviti agunt homines, ea vel vi adacti, ubi valentior renitentis membra impellit; vel ignorantiâ & errore inducti, agunt, ubi non norunt quid agitur; vel denique sunt *mixta*; ubi quod minime per se

gratum

gratum eſt, ad gravius aliquod malum avertendum ſuſcipitur. Quae ab invitis, vi adactis, fiunt, ſoli cogenti imputantur: quae ab ignaris, tunc tantum imputantur, quum ignorantia eſt culpanda. Mixta omnia imputantur; ſunt enim libera, quippe ab agentis arbitrio profecta. Imputantur autem in malam partem, aut bonam, prout quae ex actione naſcuntur mala, ſunt iis quae avertuntur, majora, aut minora. Mala verò turpia, malis phyſicis ſunt multo graviora.

III. QUAMVIS autem in ipſa voluntate, ejuſque motibus, praecipuè, ſita ſit omnis honeſtas aut turpitudo; ipſius tamen rei, quae agitur, ignorantia, actionis ſpeciem moralem afficiet. Quamvis enim, mala appeteret vir optimus, ſi modo ipſi bona videantur, & honeſta; error tamen aut ignorantia ſaepe haud culpâ vacat, ſi modo *voluntaria* ſit, & *vincibilis;* quum, nempe, diligentiâ, ut a viris probis fieri ſolet, adhibitâ, verum innotuiſſet. Quae *involuntaria*, & invicta eſt ignorantia, ab omni culpa vacat.

Voluntaria, deinde, vel eſt *affectata*, quam dicunt, ubi animo deſtinato, verum exquirere nolumus; vel *ſupina*, ubi ſocordes, & de officio praeſtando improvidi & incauti, animum ad eam rem non advertimus. Prior turpitudinem neque tollit neque

que imminuit: posterior paulum imminuit; idque prout major minorve fuerat socordia & negligentia; faciliorque, aut minus facilis, officii cognitio.

Involuntaria est ignorantia, vel *in se, sed non in sua causa*, vel *& in se, & in sua causa*. Prior est ubi verum, inter agendum, scire nequit homo; poterat tamen scivisse, si debitam antea adhibuisset diligentiam, qualem solent viri probi: posterior, quum ne ea quidem adhibita, verum scire poterat. Haec autem sola, non illa, ab omni crimine excusat. Quamvis, enim, in eo nulla sit turpitudo, quod ea nunc agat homo, quae sibi recta videntur; hic tamen error, eum prioris arguit negligentiae, quae ingenium prodit parum honestum.

Ignorantia est vel *juris*, vel *facti*. Quae divisio, in legibus positivis, praecipuè locum habet: prout ignota est aut lex, aut rei quae agitur natura. In lege naturali, ipsa rei naturâ probè perspecta, cum effectis, & eventuum consecutione, utilibus aut nocituris, lex ipsa innotescit.

IV. QUAESTIONIBUS, quae de conscientia errante moveri solent, hinc responderi poterit.

(1.) Ipse error, aut legis naturalis ignorantia, non rarò est culpanda; diversissimè tamen, pro diversa hominum perspica-

cia,

cia, & solertia; diversisque, veri cognoscendi opportunitatibus; & perinde ut facilior est, vel minus facilis ipsarum legum cognitio.

(2.) Quae turpia credimus, reclamante conscientia agere, aut quae videntur honesta omittere, quia pravum indicat ingenium, in quo non dominatur honesti amor, semper est damnandum; variis tamen gradibus, pro delicti admissi turpitudine diversa, aut officii omissi dignitate; rationum insuper, quae ad peccandum impulerunt, gravitate aut dignitate. Saepe enim gravissimorum malorum metus, saepe amicitia, & parentum amor, στοργὴ dicta, saepe ipsa patriae caritas, homines, ad iniqua impellunt; quae omnia non parum actionis turpitudinem imminuunt.

(3.) Quanquam qui conscientiae erranti morem gerit, non in eo peccat, quod id facit; non tamen est a crimine penitus immunis; quum ipse error sit culpandus. Culpa tamen gravior est aut levior pro ipsa errorum natura. Alii enim errores, per se, animum produnt turpem, odio, superbia, aut saevitia agitatum: alii vero negligentiam solam, aut honestiores animi propensiones haud satis valuisse, indicant.

(4.) Magis plerumque peccat qui conscientiae renititur erranti, quam qui ei obsequitur.

quitur. Uterque erroris culpâ tenetur; prior vero, etiam prodit honeſti curam exiguam, & magnam legum divinarum incuriam. Ubi vero humaniores animi motus, conſcientiae obſtabant erranti, imperia aliorum, non veram rei honeſtatem aut bonitatem ſpectanti, & confuſa fallacique ejus umbra deceptae; ingenium nonnunquam videbitur minus depravatum, ex eo quod egerat homo, contra quam iſtiuſmodi conſcientia monuerat, quam ſi ei paruiſſet.

V. Quae ad voluntatem pertinent adjuncta, in actionibus inter ſe comparandis, ſpectanda, ex ſupra dictis intelligi poſſunt. Quum honeſti ſint animi motus benigni; turpes, maligni; immo nimia philautia, aut nimiae humiliorum voluptatum appetitiones: interque affectiones benignas, laudabiliores ſint ſtabiles magis & tranquillae; & tranquillarum, honeſtiſſimae, quae patent latiſſimè.

1. Officia igitur deliberata, conſilioque ſtabili ſuſcepta, iis quae ex perturbato quovis, & brevi amoris naſcuntur aeſtu, ſunt honeſtiora.

2. Turpiora pariter ſunt delicta & injuriae, quae deſtinato conſilio, aut odio fiunt inveterato; quam quae ex ira, metu, aut vehementiore fluunt cupiditate. Actionum turpitudinem imminuunt plerumque, vehemen-

vehementiores iſtiuſmodi perturbationes; non tamen penitus tollunt: quum, cui cordi eſt honeſtas, quique ſeriò hoc ageret, motus hoſce reprimere poſſit, eouſque ſaltem, ne in actiones prorumpant externas.

3. Eadem benefaciendi ſtudia, aut aeque late patentia, ab omnibus, quamvis virtute paribus, non ſunt expectanda: quum adeo diverſa ſint hominum ingenia, vires, opportunitates, otia, aut negotia.

4. Inter arctiores animi affectiones benignas, non leve eſt diſcrimen, pro variis amoris cauſis, quarum aliae aliis multo ſunt honeſtiores. Quae ex noſtrâ, cum alterius utilitate, conjunctâ, oritur benevolentia, quamvis turpitudine vacet, nihil tamen habet praeclari; quum cadere in hominem turpiſſimum, & erga turpiſſimos exerceri, queat. Neque praeclara eſt ea caritas quae inter ſanguine conjunctos, aut amantes, intercedit. Perturbati fere ſunt hi motus, arctiſque limitibus incluſi: atque ita nati ſunt homines, ut qui nihil altius ſapiunt, his non careant. Nihil tamen magis contra naturam, nihil turpius, quam ut haec inter neceſſarios omnino deſiderentur. Durus ſit omnino & ferreus oportet, qui ne ex cauſis quidem hiſce naturalibus, omniumque validiſſimis, concipit animum benignum.

Praecla-

Praeclarior paulo, ea quae ex beneficiis acceptis oritur benevolentia, & gratiae referendae ſtudium, ubi abeſt fucata omnis, novis beneficiis captandis deſtinata, amicitiae ſimulatio. Huic affinis eſt miſerorum commiſeratio, & ſublevandi ſtudium. Arctiores tamen ſunt & hae animi propenſiones: qui validis hiſce cauſis non commovetur, nemo eſt, niſi omnem ſimul exuerit humanitatem. In hujuſmodi officiis vulgaribus non admodum elucet virtus; in iis tamen neglectis aut detrectatis, ſumma turpitudo.

Praeclarior longe eſt ea benevolentia & caritas, quam morum allexit ſimilitudo bonorum. Oſtendit enim acriorem honeſti ſenſum, & amorem, ſua ſponte, ad plures pertinentem, in quibus ſimilis eſt virtutis ſignificatio. Huic autem praeſtat amor patriae alte infixus: omnium tamen pulcherrima, ea ſtabilis animi prudentis affectio, quae univerſum benevolentia complectitur humanum genus; & ſingulis oblatâ occaſione conſulit.

Exigit autem, quod facile patet, communis utilitatis ratio, animi appetitionibus, & naturae inſtinctu, commendata, ut quiſque, quoad patitur communis utilitas, ſui, eorumque quos ſibi commendarunt neceſſitudines arctiores & naturales, curam habeat praecipuam; utque in officiis huic cu-

rae consentaneis, plerumque occupetur: quibus nempe solis, hominum pars longe maxima, communi utilitati inservire possint.

VI. Haec in universum tenenda, quo arctiore & validiore naturae vinculo, adstringimur ad officia quaevis, eo minor erit in iis servatis honestas, & major in neglectis turpitudo. Quo sanctiore juris vinculo tenemur, quo pleniore jure postulatur officium, eo minus laudabile est praestitisse, magisque vituperabile praetermisisse, aut detrectasse. Quo debiliore jure postulari poterat officium, eo minus est flagitiosum detrectasse, eo honestius ultro praestitisse; si modo adsit sanctiora officia praestandi cura major, pro eorum sanctitate.

In actionibus & consiliis damnandis, minor, caeteris paribus, erit turpitudo, quo speciosiores causae ad peccandum impulerunt. Patriae amori posthabuisse eam justitiam, quae & exteris omnibus consulit; aut patriae utilitatem, amicorum, aut bene de nobis meritorum, utilitati posthabuisse, non perindè foedum, ac si quis suae haec utilitati posthabuisset, aut voluptati; quae causa est omnium infima.

Quantum ad actionem simpliciter bonam, hominem incitaverit suae utilitatis appetitio, tantum praeclarae speciei deteritur;

tur; & nullâ alia re expetitâ, nulla manet laus, licet actio sit licita.

Ubi suae utilitatis ratio, quae ejusmodi est, ut virum etiam bonum non parum commoveret, hominem ad peccandum incitaverit; turpitudo, eâ de causa imminuitur. Animi autem motus perturbati, quos graviora excitare solent mala imminentia, virum bonum magis concutiunt, quam quae spectant utilitatum novarum, aut voluptatum adeptionem: multo igitur magis, delicti turpitudinem elevant. Voluptatum autem appetitiones nimiae, sunt per se turpissimae, indicantes levissimam & vilissimam animi partem, caeteris prorsus dominari.

Si quis officia praeclara, sibi damnosa, aut multo cum labore & periculo conjuncta, suscipiat; ea tanto sunt honestiora. Quum vero aliorum utilitatem praecipuè spectent virtutes praeclarae; ad suae voluptatis, aut utilitatis, aliorsum spectantes illecebras spernendas, animum suum confirmare conabitur vir bonus: quod optime fieri potest, ubi haec altè menti insident, Dei opt. max. providentia mundum administrari, bonisque omnibus optimè consuli; unicamque, ad vitam beatam & immortalem, per virtutem patere viam. Has igitur spes eximias, ex animo minimè ejiciet: eas vero fo-

vebit & confirmabit, ut in omni virtute ſit perfectior & conſtantior.

VII. QUOD ad rei quae agitur naturam, agentiſque vires, attinet; haec vera videntur. (1.) Pro ratione momenti, quod actio quaevis ad communem affert utilitatem, quam expetebat agens, eam, caeteris paribus, eſſe honeſtiorem.

(2.) Caeteris item paribus, poſito quovis actionis momento, ejus honeſtas, pro virium ratione *inverſa*, quae dicitur, major erit aut minor. Id eſt, majorem oſtendit is virtutis indolem, qui in re tenui, opibuſque exiguis, beneficientia opulentos aequat.

(3.) Eadem ferè de actionum malarum turpitudine dicenda: eam ſcil. caeteris paribus, ſervare rationem detrimenti ſecuturi *directam*, & virium *inverſam*. Id eſt, turpiora ſunt quae graviora poſt ſe trahunt damna; quaeque ab imbecillioribus, contentis tamen nervis omnibus, perpetrata, animum produnt ad nocendum obfirmatum.

4. In aeſtimando autem actionis momento, ſpectanda eſt omnis eventuum conſecutio, qui praevideri poterant, quique citra actionem non eveniſſent; idque ſive ſua ſponte & conſecutione naturali ſequantur; ſive intervenientibus aliorum actionibus, quas

quas elicuerat haec actio; aut provocarat. Prospiciet enim vir bonus ea omnia, quae ex actionibus suis evenire possunt; cavebitque, ne quid temerè agat, contra communem utilitatem, aut quod, ad damnum publicum aut privatum inferendum, ansam est praebiturum, aut irritamentum non necessarium.

De actionum eventibus haec tenenda: Commodum publicum, etsi praevisum, non vero inter agendum expetitum, neutiquam actionem honestare, aut laudi verti posse: quum honestam non indicet voluntatem. Damnum verò publicum, quod praevideri poterat, quamvis neque expetitum erat, neque praevisum, actionis turpitudinem augere; quum ipsa, de publicis commodis aut incommodis, incuria & negligentia, sit turpis, debilesque ostendat fuisse affectiones animi benignas.

(5.) Neque tamen mala est omnis actio unde damna oritura praevidentur; neque mala omnia quae ex actione eveniunt, quamvis praevisa, eandem turpem reddunt; nisi & propter se expetita fuerant. Ex bonis quippe & malis eventibus, mixtum est omnium ferè actionum externarum momentum. Nullum est vitae institutum, quod non sua habet & commoda & incommoda; quae omnia ad calculos vocanda. Eae igi-

tur actiones, ratione momenti, sunt bonae, ubi commoda, quae sine istiusmodi incommodis parari non poterant, haud parum praeponderant: Eaeque malae, unde incommoda oriuntur commodis plura & majora; aut ubi haec sine illis parari poterant.

(6.) In foro Dei tamen, & conscientiae, imputantur haec omnia, non prout re verà eveniunt; verum prout probabiliter sperari poterant eventura. Non enim in ipsis eventibus, sita est honestas aut turpitudo; ast in animi consiliis, & voluntate. Unde paritèr saepe sunt in culpa hi, quorum alter, casu, aut aliorum cura impeditus, nemini nocuit, alter verò gravissime. Neque minus laudandus, qui honesta, pro viribus, etsi frustrà, conatus est, quam quibus omnia ex voto contigerunt.

VIII. Inter ea quae voluntatem & agendi vires afficiunt, numerantur habitus, & consuetudines: quae licet *praesentium voluptatum* sensum imminuant, absentium tamen augent desiderium molestum, hominesque ad eas insectandas propensiores reddunt, agendique dant facilitatem. Habitus hi, ut sponte fuerant adsciti, sic actionum intermissione, cautioneque & diligentia, reprimi potest eorum vis, & penitus deleri. Quomodocunque igitur, actionis rectae honestatem minuunt virtutum habitus,

hominis

hominis tamen & ingenii laudem augent. Habitus, contra, pravi, utcunque actionis cujusque turpitudinem minuunt, hominem tamen ipsum turpiorem faciunt, magisque damnandum.

Homini denique laudi dantur aliorum actiones, quin & causarum naturalium & inanimarum effectus exoptati; quatenus, actionibus suis honestis, aliquid ad eos attulit. Imputantur & damna, ex aliorum vitiis, aut rerum inanimarum motibus orta; quatenus, vel faciendo, vel non-faciendo, secus quam debebat, ad ea quicquam attulit.

CAPUT IV.

De Jure Privato Naturali.

Ex dictis constat, propria singulis officia, non expeditius declarari posse, quam percurrendo diversa quae hominibus competunt jura, una cum iis, quae cuique respondent obligationibus; pro diverso hominum statu, variisque vitae necessitudinibus.

Status est, " Hominis conditio perma-
" nens,

"nens, varia jura, & longam obligationum "seriem includens:" Estque vel *solutus & liber*, quem constituit ipsa natura; vel *adventitius*, ab aliquo hominum instituto ortus.

Libertatis solutae & naturalis status est, eorum qui nulli communi hominum imperio subjiciuntur. Qui quidem primus erat, inter adultos, parentum potestate solutos: quem & quoddam hominum genus semper retinebit; summi saltem civitatum diversarum rectores, ipsaeque civitates.

Denominatur status a jure & legibus in eo vigentibus, non ab iis quae, pro hominum pravitate, contra leges fiunt. Est igitur libertatis naturalis status, amicus & pacatus; innocentiae & beneficientiae status, non rapinae, violentus & hostilis. Quod recti & honesti sensus, & suae utilitatis ratio, cuique satis monstrabunt.

Absque, enim, plurium consortio, (quod observasse profuerit, estque in promtu,) absque plurium auxiliis, officiorumque amicorum commercio, neque nasci poterant homines, neque conservari, nedum ulla vitae commoditate aut jucunditate frui. Constat etiam, nemini eas esse vires, ut sibi polliceri possit, se alios quosvis devicturum, quos laedere cupit, aut spoliare, quosque, injuriis intentatis, pro eorum super conditione

ne communi curâ, ſibi hoſtes concitaverit. Vix fere quiſquam eſt, cui ad laedendum deſunt vires, ubi indignatione juſta commovetur: hominumque vires ſunt ad laedendum plerumque efficaciores, quam ad alios beatos conſervandos. Quae in rebus externis ſita eſt beatitudo, a corporis, ejuſque partium omnium, valitudine pendet; quae infirma & fragilis, vi quantulacunque facilè turbatur; reſque exigit complures, quae, laedi, interverti, aut corrumpi poſſunt. Perſpecta haec hominum conditio infirma, & incerta, bene ſano cuique monſtrabit, pacem & amicitiam, quantum fieri poteſt, cum omnibus eſſe colendam.

II. Jura, prout lege naturali, vel in ſingulorum utilitatem proximè conſtituta, vel *univerſitatis* aut populi, vel in omnium communem, dividuntur in *privata*, *publica*, & *communia*. Jura cujuſque privata, primò indicant ipſi cujuſque appetitus naturales, & ſenſus, ea ſeligentes, quae ad cujuſque faciunt foelicitatem; recti etiam honeſtique ſenſus, animique motus benigni, hanc facultatem, ſibi utilia aut jucunda parandi, cuique permittendam & defendendam, omnibus commendantes.

Primò, igitur, ſpectanda ſunt naturae cujuſque principia: * deliberatio dein revocandat,

* Vid. Grot. de J. B. & P. I. 2. 1.

canda, secundum rectam rationem, ad aliorum majores quasque utilitates, & omnium communem: ut, his non repugnantibus, cuique ea agere, habere, exigere, permittatur, quae nemine laeso, ipsi sunt commoda aut grata.

Singulorum jura sunt vel *naturalia*, vel *adventitia*. Naturalia, nullo hominum facto aut instituto preeunte, cuique tribuit natura. *Adventitia*, ex aliquo hominum facto aut instituto nascuntur.

III. SINGULORUM jura naturalia, sunt vel *perfecta*, vel *imperfecta*. Inter jura cujusque naturalia & perfecta, haec sunt praecipua: (1.) Jus ad vitam, & corporis integritatem (2.) Jus pudicitiae conservandae; (3.) & *existimationis*, quae dici solet, *simplicis*, sive famae viri probi, & hominum societate non indigni. (4.) Jus ad libertatem; sive jus pro suo arbitrio agendi, quaecunque nulla lege prohibentur. (5.) Jus illud etiam in vitam, quod eousque valet, ut possit quisque se, non solum periculis quibusvis, verum & certae morti objicere, ubi id exegerit sanctum aliquod officium, unde major humano generi, aut praestantioribus quibusvis, orietur utilitas, quam quae ipsius vitam compensat; quod & recti honestique sensus, & virtutis amor, cuique commendabit.

Est

Eſt etiam cuique jus, cujus ſenſus altè a natura eſt infixus, ſuo utendi judicio, in omnibus quae ad officium ſpectant (quod ſine ullâ alteri illatâ injuria fieri poteſt) praecipuè vero, de Deo colendo. Contra ſuum de officio judicium, nemo quicquam recte agit: neque in ſimulatione aut diſſimulatione, ulla eſt virtus; aſt ſaepe maxima turpitudo. Non igitur in commercia veniunt animi, de religione aut virtute, ſententiae. Nullus eſt ejuſmodi commercii uſus: neque fieri poteſt, ut ea judicet quiſquam quae alter voluerit. Patet igitur alienari non poſſe hoc jus; nihilque agere, qui ſententias paciſci velint, eaſve aliorum arbitrio permittere. Finge aliquem temerè judicaſſe, falſaſque fovere de religione ſententias; is, dummodo nemini noceat, ſuo utitur jure externo: id eſt, graviora longe ſequerentur incommoda, ſi alteri, illum poenis coercere permitteretur, aut malorum metu cogere, ut contrariam profiteatur ſententiam.

Eſt etiam jus cuique naturale, rebus communibus communiter utendi; atque, ut is ipſi pateat aditus, qui caeteris, ad jura adventitia acquirenda; utque cum aequalibus aequaliter excipiatur. Eſt etiam jus connubia ineundi, cum omnibus qui volunt, ſi modo ſui ſint juris, nulloque priore contrac-

tu

tu impediti: neque eſt tertio cuivis, aut homini aut coetui, prohibendi jus. Neque cuiquam, qui nullum nactus eſt imperium in alios, jus eſt volentes prohibendi, ne ſocietates quaſvis, ſui commodi cauſa, aut commercia ineant innoxia.

Haec cuique competere jura perfecta, monſtrabit ſenſus cujuſque, & naturae prima: neque iis violatis conſtare poſſet vita inter homines ſocia & pacata. Ea etiam confirmabit communis utilitatis ratio, animique affectiones omnes honeſtiores.

Hôc vero ſunt omnes pares & aequales, quod adultis omnibus jura haec naturalia pariter competant, & lege naturali muniantur; quae jubet ut cuique conſulamus, quantum communis patitur utilitas: utque tenuioribus & hebetioribus ſua tueamur exigua; aequè ac ampliora ſua, potentioribus aut ſolertioribus. Communis etenim hoc exigit utilitas, idque ſanctiſſimè, ne quis mortalium ratione praeditus, niſi ſponte ſua, aut ob delictum, alienae ſubjiciatur voluntati, nulla ſuae utilitatis habita ratione: dummodo magna aliqua populi utilitas, in caſu quodam rariore, id non flagitet. Nemo enim adeo eſt hebes, aut de ſuis ſuorumque rebus, adeo ſecurus & improvidus, cui non ſit mortis inſtar, ſe ſuoſque ex aliena pendere voluntate, & alte-

rius

rius inſervire libidini, graviſſimis contumeliis ſemper obnoxios. Naturâ igitur nemo eſt ſervus, nemo dominus. His tamen non obſtantibus, plura ſunt prudentioribus & melioribus, jura imperfecta, quae aliis non competunt; majorque iis cultus debetur, & officia praeſtantiora.

Quum vero nulla ſint indicia certa, aut criteria, quorum ope inter omnes covenire poſſit, quinam hominum, ſunt caeteris ſolertiores & meliores; quumque & hebetiores, praeſtantem ſibi ſaepe arrogent prudentiam; omniumque peſſimi malitiosè ſaepe ſimulent probitatem & bonitatem, a verâ haud facilè ſecernendam; patet, nullo prudentiae aut probitatis obtentu, poſſe quemquam, jure ſibi, in alios invitos, imperium arrogare. Hoc enim communi maxime obeſſet foelicitati.

V. OMNI ſingulorum juri imperfecto, reſpondet obligatio aliqua aut officium, recti & honeſti ſenſu, & communi omnium utilitate, ſaepe ſanctiſſime commendatum. Haec ſunt praecipua. Cuique jus eſt exigendi ea ab aliis officia, quae accipienti proſunt, danti vero neque ſunt moleſta nec damnoſa. Eſt & cuivis innocuo jus ad humaniora ea officio, quae ipſi multo magis ſunt profutura, quam praeſtantem gravatura. Quae cauſa praecipuè eſt calamitoſi

cujusque, aliorum egentis auxilio. Honestioribus, licet non calamitosis, jus est ad aliorum officia majora, ad suffragia, praesertim, quibus ad honores altiores promoveantur. Jus etiam est cuique, non suo merito infami, ut legibus aequis, in societates aut civiles aut religiosas, ad vitam commodiorem, aut magis piam degendam, recipiatur. Jus denique est cuique innoxio, ut humanis & benignis, pariter cum paribus, excipiatur officiis; atque cum imparibus, pro ratione dignitatis.

VI. DE beneficientia & liberalitate constat, beneficii momentum ad accipientis utilitatem, esse pro ipsius beneficii ratione, accipientisque indigentiâ, majus vel minus: danti vero graviora esse, aut leviora, beneficia, pro eorundem pretio, dantisque inopia. Unde accipienti egeno saepe sunt utilissima, quae danti opulento sunt minimé gravia.

Beneficientia, quae virum bonum maxime decet, & in qua praecipue elucet virtus, has habet cautiones: (1.) Ne obsit benignitas & iis ipsis, quibus benigne videtur fieri, & caeteris. (2.) Deinde ne major sit quam facultates, suumque fontem exhauriat. (3.) Tum ut cuique pro dignitate tribuatur. In dignitate aestimanda spectandi sunt [1.] Mores hominum; [2.] Animus

nimus erga nos; [3.] Vitae communitas & conjunctio; [4.] Et denique officia ante in nos collata. Horum nullum est negligendum, minime quod ultimum posui, quum nullum sit officium gratia referenda magis necessarium, aut vitae hominum magis utile; ingrato autem animo nihil turpius aut inutilius. Gratiae igitur referendae, ubi simul caetera praestari nequeunt, cedunt pleraque liberalitatis officia.

CAPUT V.

De Jure Adventitio reali, & Rerum Dominio.

ADventitia, quae ex hominum instituto aliquo aut facto, oriuntur jura, sunt vel *realia*, quae dicuntur, vel *personalia*. Illa rem aliquam certam & definitam proxime spectant: haec vero certum hominem sive personam.

Inter jura realia, prima veniant in medium *rerum dominia*: quorum origo & causae declarandae. Monstrant, primò, externi hominum sensus & appetitus, certas res, in victum & amictum exposcentes; & mu-

torum animalium ſenſus ſimiles, & appetitus, ad quos regendos aut cohibendos, nullam aliam habent facultatem ſuperiorem, monſtrant, res inanimas, animalium causâ, a Deo benigno fuiſſe fabricatas, ut vita foret ipſis laeta & copioſa: animalium autem terreſtrium praecipui ſunt homines. Hoc etiam confirmabit ratio, docens, quae gignuntur è terra, cito ſua ſponte interitura, non in alium uſum, divinâ bonitate & ſapientiâ digniorem, deſtinata eſſe, quam ut animalium, praecipue vero hominum, utilitati inſerviant aut foelicitati.

II. Quamvis autem, homini innata quaedam bonitas, & commiſeratio, ad ipſas pertineat beluas, ab omni in eas retrahens ſaevitia, quam non exigit gravior hominum utilitas, quorum, cuique major longe erit cura, & commiſeratio: cernent tamen homines, vitam ſibi duram omnino & laborioſam futuram, niſi jumentorum laboribus ſubleventur. Cernent etiam, jumenta omnia, atque animalium mitiora, quorum hominibus praecipuus eſt uſus, ſine hominum provida cura, conſervari non poſſe; hiberna nempe fame, & frigore, aut ferarum vi peritura: neque hominibus, in ſe conſervandis ſemper occupatis, ubi nullum a jumentis accederet auxilium, mutis animalibus conſervandis aut protegendis vacaturum.

turum. Monſtrat igitur ipſa ratio, animalia mitiora, praecipue quae laboribus ferendis ſunt idonea, hominum fidei & imperio eſſe permiſſa, ut hominum ſolertia conſervata, curae hujus & cuſtodiae, laboribus ſuis, perſolvant mercedem: atque hac ratione communitatem quandam, aut ſocietatem, in communem utriuſque generis utilitatem, eſſe conſtitutam; ubi imperant animalia ratione praedita, & ſerviunt rationis expertia.

Quae laboribus ferendis inutilia ſunt, animalia muta, ab iis, alia ratione, hominibus perſolvenda eſt merces defenſiónis & cuſtodiae, cum haud levi hominum labore conjunctae; quibus nempe ſilveſtres agri ſunt in paſcua mitigandi, atque ferae & rapaces beluae abigendae. Lacte nempe aut lana, hominibus perſolvenda eſt ea merces, qui aliâ lege, labores iis conſervandis neceſſarios, perferre nequirent.

III. QUIN & ſi victus, pro hominum numero, ita maligna eſſet copia, ut plurimis fame pereundum foret, niſi mutorum animalium carne veſcerentur: monſtrabit ratio, illa animalia haud graviore morte perire, inopinatò in hominum cibum mactata, quam omnibus, ab hominum tutela excluſis, pereundum eſſet: immò fame, frigore, aut ferarum vi, immaturiùs pleraque perirent

& saeviùs. Non igitur iniquè aut crudeliter, at potius prudenter & benigne, agitur, ubi homines hanc leonum, ursorum, luporum, canum aut vulturum praedam, saevius perituram, in suos usus intervertunt.

Videmus insuper mutorum animalium genera debiliora, in fortiorum & sagaciorum cibum a natura esse destinata. Quo eorum usu hominibus negato, & pauciora istorum generum propagarentur & conservarentur; eorumque animalium vita minus foret tuta aut copiosa. Exigit etiam universorum animalium utilitas, ut conservetur & augeatur genus ratione praeditum, nobilioris foelicitatis aut miseriae, & diuturnioris, capax; quamvis inferiorum animalium imminutionem exigeret praestantiorum conservatio. Haec omnia satis docent & confirmant jus illud, humani generis commune, ad omnem ex rebus inferioribus, etiam animatis, fructum capiendum. Omnis tamen in bruta animalia saevities, hominibus inutilis, est omninò vituperanda.

IV. Dominii vero privati alia est ratio. Dominium primum & illibatum, "Jus "ad omnem rei usum capiendum, eamque "pro arbitrio alienandam" notat. Insitae sunt cuique solertia quaedam & vires, ad res aliquas occupandas idoneae; atque ad agendum proclives sunt homines. Arctiores

res

res animi affectus benigni, una cum philautia, quemque incitant, ad res, sibi & suis necessarias, anquirendas & occupandas: in istiusmodi solertia & industria delectatur gnavus quisque, *& strenuus*; & in eo sibi plaudit, quod suo labore, amicorum officiorum materiam comparavit. Docet recti honestique sensus, inhumani esse & maligni, alteri, res ejus labore partas aut excultas eripere, cum possit quisque, suo se labore sustentare. In promptu est, fructus sponte nascentes ne vel centesimum quemque alere posse: omnium igitur labore & diligentia, conservandum est humanum genus. Quod igitur est diligentiae fovendae necessarium, est & humano generi conservando necessarium: citra vero dominium, ex labore in rebus occupandis & excolendis impenso, oriundum, non amplius philautia, aut arctioris caritatis stimuli, homines ad labores perferendos incitabunt: neque quidem ipsa, quae laetissimè patet, benevolentia; quum omnium intersit, ut omnes pro virili, labores vitae necessarios ferant. Nemo autem impenderet labores, si non ipsi proprius esset rerum suo labore partarum usus; aliter enim, ignavis & nebulonibus, operum patientes omnes, & strenui, praedae essent & ludibrio.

Neque

Neque quidem alia ratione, jucunda erit hominum vita, aut vigebit omnium diligentia & patientia, quam cuique permiffo omni, rerum, quas fuo labore paravit & excoluit, ufu; & facultate libera, iis, quos habet cariffimos, de eo quod ipfi fupereft, gratificandi. Hinc & jucundi fient labores & honefti; vigebunt amicitiae, & mutua bonorum officia; atque fuâ inopia, & ignavi, ad labores perferendos cogentur. Neque fperari poterit in vita civili, ea continua magiftratuum cura & fides, quae cunctos, ad labores debitos in commune conferendos, adiget; atque res communes, cuique, pro indigentia & meritis, fine gratia aut odio, diftribuet. Neque, fi ita fe res haberet, in imperantium fide & prudentiâ ea effe poffet civium fiducia, quae aeque jucundos redderet labores, ac ubi cuique, pro fuo judicio, res fuo labore partas, fuis impertire permiffum eft.

CAPUT

CAPUT VI.

De Dominii Acquirendi Rationibus.

DOMINIUM eſt vel primum, vel derivatum. Primum, quod ex rerum antea communium occupatione oritur & culturâ. Derivatum, quod a priore domino, ad novum eſt tranſlatum.

Qui res ſua ſponte, ſine cultura, homini utiles, aut jucundas, ſive pro naturali ſui conſervandi appetitu, ſive animo in alios benevolo, primò occupavit, primus eas occulo cernendo, manu, aut inſtrumento quovis, mox arrepturus; vel ſua ſolertia & labore includendo; aut quacunque ratione, humanis uſibus propius admovendo; ideo cenſetur earum dominus, quoniam ſi alius quiſpiam, qui ſuo ſe labore ſuſtentare poſſet, res ita occupatas huic eriperet, ipſiuſque ſpes & conatus redderet irritos, ab omni humanitate recederet, ſocietatem vitae abrumperet, & perpetuis contentionibus materiam eſſet praebiturus. Si quis enim, huic aliquid occupanti, illud rectè nunc

nunc poſſet eripere; ſimili jure poterit & aliud denuo. Quod huic eripienti eſt jus, alii cuivis, in ſimili competet causâ. Hac ratione omnis occupantium labor irritus fieri poſſet, ipſique ab omni rerum uſu excludi, niſi perpetuis ſe bellis defenderent.

Nugantur illi, qui ſomniantes rerum dominia, phyſicas quaſdam eſſe qualitates, aut vincula inter res & dominum, in eo diſputant, non tantam eſſe primò videndi, tangendi, feriendi, aut includendi vim, ut ſancta conſtituat dominii jura; quique quaeſtionem movent, quaenam harum rationum vim habeat maximam. Enimvero, dominii cauſas inveſtigantes, non aliud quaerimus, quam ut cognoſcatur, in quibus cauſis & adjunctis, humanum ſit, & erga ſingulos aequum, & ſimul hominum conſociationi tuendae idoneum & neceſſarium, ut uni permittatur omnis quarundam rerum uſus, caeterique ab eo arceantur; quo ipſo cognito, munitur via facilis, ad dominii acquirendi rationes & regulas cognoſcendas.

II. DE diverſis occupandi rationibus, ita ſtatuendum videtur; inhumanum eſſe & iniquum, nulla premente neceſſitate, aliorum innocuos labores, inchoatos, nec dum intermiſſos, impedire; eorumve fructus, praematura noſtra occupatione, interverte-

re.

re. Si quis igitur res fibi anquirens neceffarias, rem aliquam prior vidit, confeftim arrepturus, aut perfecuturus; qui in fimili non fuerat caufa, inique ageret & inhumaniter, fi celerius currendo rem prius arriperet, quam antea non quaerabat. Si plures fimul, res fibi neceffarias anquirentes, eandem rem viderint, ea erit his omnibus communis, quamvis unus primus arripuerit, nifi legibus civilibus, aut moribus, aliter fit conftitutum. Si unus prior viderit, confeftim arrepturus, alter vero prioris confilii gnarus, fimiles tamen ipfe res anquirens, rem prior arripuerit, ea res videtur communis. Nullae enim ftant ab una parte caufae magis humanae, quam quae ab alterâ. Si quis fuo labore aut folertia feras incluferit, irretiverit, aut captu faciliores fecerit, eas huic eripere, nulla premente graviore neceffitate, iniquum effet & inhumanum; licet neque primus eas vidiffet, neque attigiffet. Si pluribus innotuerit rem quandam effe dominio vacuam, & cuivis occupaturo patere; plurefque, non hujus confilii fibi mutuo confcii, eam occupare fimul ftatuerint, & conati fuerint; eo quidem more, qui communi hominum confenfu invaluit, dominus erit qui primus advenit: ubi autem nihil in mores eft inductum, res omnibus, citius aut ferius occupantibus,

bus, esset communis, aut communiter habenda, aut inter hos plures, pro ratione operarum & impensarum, quas prudenter & bona fide, in ea occupanda, singuli contulerunt, dividenda; siquidem eorum nulli defuit bona fides, aut justa diligentia. Immo, etsi plures consilii hujus mutuo sibi conscii fuerant, recte tamen omnes occupant, & dominium obtinent commune. Neque tardioribus citra culpam; aut iis qui strenuam navantes operam, casu quodam impediebantur, aditus ad rem communem est praecludendus.

In causis hujusmodi spectandum, primo, si quae humaniores suadeant rationes, ut uni prae caeteris faveatur; haec imprimis ne innocuorum aut honestorum laborum fructus intervertantur, aut probi & industrii spes & conatus fiant irriti. Si omnibus faveat haec ratio, res debet esse omnibus communis. Si qui casus rariores ancipiti ansam praebeant disceptationi; si res quaedam neque communiter haberi, aut sine dispendio dividi, aut commode distrahi possint, hominum conventione, aut pro more instituto, dominium illi assignandum, cui favent istiusmodi adjuncta, quorum ea est vis, ut lites inextricabiles & bella praecavere valeant. Atque ideo tantus ubique favor comitatur prius occupantem, aut qui rem

rem palam emerat, & cui palam fuit tradita: atque haec publica exigit utilitas.

Si inter fe plures pacti fuerint, rem fore illius qui primo occupaverit; & de occupandi modo pacifci oportebat: de quo fi nihil convenerat, plures occupandi rationes cenferi poffunt pares, & commune erit dominium. Haec ad pacem tuendam funt aptiffima.

III. Quum autem homo fit naturâ fagax & futuri providus, non folum in praefentem fui aut fuorum ufum, recte res occupabit, verum & in futurum, ubi alii gravi non premuntur neceffitate. Quumque res plurimae, ut hominum ufui uberius & diutius inferviant, longa egeant & laboriofa cultura; quo ad eam adhibendam incitentur homines, ipfis perpetuus earum rerum permittendus eft ufus, five dominium perpetuum, laboris & folertiae naturale & juftum praemium. Quâ in caufa funt arva, pafcua, vineae, oliveta, pomaria, horti, jumenta, & his fimilia plurima.

Inchoatur autem dominium, inchoatâ rerum prius communium cultura; plenum eft, quum defignavit occupator quoufque, per fe, vel per alios fibi adfcifcendos excolere & velit & poffit. Iniquum enim eft, aut impedire labores innocuos, aut eorum fructus intervertere.

Terminatur vero dominium, aut occupandi jus, occupantis, eorumque, quos sibi adsciscere potest, excolendi viribus. Neque primo appulsu in vastam insulam, plurium familiarum capacem, pluriumque cultura egentem, fieri potest unus paterfamilias totius insulae dominus. Quisque recte occupat quantum poterit excolere: inculta manent communia. Neque primo classis suae appulsu, domina fit civitas, vastae continentis, plurium civitatum capacis, cui excolendae unius civitatis coloniae neutiquam sufficerent. Recte occupat haec civitas quantum spes est se posse, modico & justo tempore, excolere; suosque jure porrigunt coloni limites, ultra id quod possunt quinquennio primo aut decennio mitigare; neutiquam vero ultra omnem regionis occupatae excolendae spem. Justum autem excolendi tempus, primis occupantibus concedendum, virorum prudentium arbitrio determinari debet, vicinarum, aeque ac hujus civitatis, habita ratione, prout numerosiores sunt, novisque magis indigentes sedibus; aut minus numerosae, civesque laxius habitantes. Ubi novis plures indigent sedibus, rectè istius continentis partes incultas, a cultis remotiores, occupabunt aliae civitates, ea inconsulta, aut invita, quae prima partem occupaverat. Neque

ea exigere poteſt, ut hi advenae civili ipſius imperio ſe ſubjiciant. Satis eſt ſi aequae pacis legibus conſentiant. Aſt prout in liberò populo, juſtae aliquando ſunt leges agrariae, paucorum opes nimias, & civitati periculoſas cohibentes; civitatibus ita vicinis jus eſt, mature praepedire eas unius occupationes, ex quibus, ipſi earum libertati aut majeſtati, periculum imminere videtur; niſi alia ratione ſatis ſibi cavere poterint. Communi enim utilitati adverſatur quam maximè, ut unius civitatis ſuperbiae, avaritiae, ambitioni, aut luxui, aliarum jura, majeſtas, libertaſque, permittantur peſſundanda.

Singulis tamen hominibus, ut & hominum coetibus, permittenda ſunt rerum quarundam dominia, jure acquiſita, ſupra eum modum, quem exigit ipſorum uſus; quum eae commerciis praebeant materiam, cum aliis rebus quibus indigent commutandae.

IV. Ex his dominii cauſis patebit, res uſus inexhauſti, ita occupari non poſſe, ut ab earum uſu alii arceantur; praecipue etiam, quod nullo hominum labore, res iſtiuſmodi meliores fieri poſſint. Si quidem ad tutiorem quarundam uſum, ſumptus exigantur aut labores, recte hoc exigunt hi, qui utiles eos ſumptus aut labores impenderant, ut iis compenſandis caeteri, pro rata parte,

 aliquid

aliquid conferant. Aer igitur, lumen folis, aqua profluens, & oceanus, omnibus manent communia; quin & freta. Tranfeuntibus autem recte imponi poteft tributum aliquod, ab ea civitate, cujus propugnaculis, aut navibus armatis arcentur piratae, & tutum omnibus per ea freta munitur iter. Quod tamen tributum non eft augendum, ultra rationem fumptuum, omnibus tranfeuntibus utilium. Cunctis autem permittendus omnis rerum communium ufus, qui non etiam vicini foli, ab aliis occupati, ufum includit.

Hinc conftat, res a Deo hominibus fuiffe relictas, in ea communione quae dicitur *negativa*, non *pofitiva*. Illa eft "ftatus rerum in medio pofitarum, ut occupationi pateant:" haec vero "ftatus rerum quae funt in plurium dominio indivifo," ad quas nempe fibi fumendas, fine dominorum omnium confenfu, nemini jus eft. Recte igitur quivis, caeteris inconfultis, res prius communes occupabit; neque in dominio conftituendo, omnium conventionibus opus fuit, de rebus dividendis.

Quae *nullius* dicuntur res, occupationi tamen non patentes, neque omnibus communes, funt quidem in dominio coetus, aut *univerfitatis*: ut res *facrae* & *fanctae*. *Religiofae*

ligiofae funt aliquando inter res familiares; quamvis legibus quibufdam fuperftitiofis, prohibeatur aliquando, ne quis res iftiufmodi ad alios ufus convertat. Neque enim hae res ufum aliquem Deo praeftare poffunt; neque ipfius jus dominii in omnia, ullo hominum facto augeri poteft, vel imminui.

Res publicae, quamvis extra patrimonia fingulorum, aut eorum commercia, veniunt tamen in populorum commercia, five inter fe, five cum privatis: ut *theatra*, *porticus*, *viae*, *balnea*.

Res olim occupatae, communes fieri poffunt, fi a domino fint projectae, aut poftquam vindicare eas poterat, diu neglectae; quod etiam animum abdicandi fatis indicare poteft. Diuturna harum poffeffio quemvis conftituet dominum. Ubi dominus rei, invitè licet amiffae, non apparet, cedit poffeffori. Sunt autem aliae caufae, haud iniquae, cur alia *ufucapio*, legibus civilibus, in communem utilitatem, & ad fraudes praecavendas conftituatur.

Cum folo occupato, occupantur & ea, quorum nullus aliis poteft effe ufus, fine ufu foli; ut *lacus*, *ftagna*, & *flumina* ripas occupatas interfluentia: immo & ea, quorum ex ufu promifcuè permiffo, rebus noftris periculum immineret; ut finus, longi-

us a mari in agros occupatos recedentes, partesque maris littoribus propiores, unde bellicis tormentis laedi possint res nostrae. Non tamen occupantur fera animalia, quae sponte se subducere possunt, & in quibus custodiendis, aut includendis, nullus est impensus labor. Licet recte alios ab aucupio, venatione, aut piscatu, in solo nostro, possimus arcere.

V. Accessiones appellantur, omnes *fructus*, *incrementa*, *alluviones*, *commixtiones*, *confusiones*, *specificationes*, quae dicuntur, & *meliorationes*: de quibus hae regulae facillimae.

1. Rei nostrae *accessiones* omnes, quae nullam alterius rem aut operam includunt, sunt nostrae; nisi quis alius jus aliquod recte acquisivit, nostro derogans aliquid dominio.

2. Ubi citra dolum malum, aut culpam, plurium res aut operae, ad rem aliquam conficiendam, aut conflandam concurrerunt, aut rem fecerunt meliorem, dominium est hisce pluribus commune, pro rerum aut operarum quas singuli contulerunt, ratione. Res igitur ipsa est his communiter, aut vicibus alternis, in eadem ratione, utenda; aut inter hos ita dividenda, si sine dispendio hoc fieri possit.

3. Quorum si nullum possit fieri, qui mi-

nore

nore cum incommodo, re communi carere possunt, eam cedere debent magis indigenti, acceptâ compensatione, a viro probo definiendâ.

4. Ubi *dolo malo*, aut *culpa lata*, res aut opera aliena rei meae est immista, unde mihi fit minus utilis; ejus pretium ab eo, qui dolo aut culpâ, rem meam contrectavit, est mihi praestandum; immo praestandum quod mea interesset, salvam habuisse rem meam & intactam: atque rem meam mihi inutilem ipse sibi habeat. Si vero res mea mihi facta fuerit utilior, mea erit; tantùmque illi a me praestandum, quantum ipsius opera factus sum locupletior.

Plenum igitur Dominium continet haec quatuor. (1.) Jus rei possidendae. (2.) Jus omnem ejus usum capiendi. (3.) Jus alios ab eo arcendi. (4.) Jus, prout mihi libebit, eam transferendi, vel absolutè, vel sub conditione quavis licita, & in quemcunque eventum; sive totam, sive mutilam; aut quemcunque ejus licitum usum, alteri permittendi. Jure saepe civili imminuuntur dominii jura, saepe priorum dominorum factis aut contractibus.

CAPUT

CAPUT VII.

De Jure Derivato, ejuſque Cauſis.

DERIVATA jura adventitia ſunt vel *realia* vel *perſonalia*. Juris realis materia, ſunt ipſa rerum dominia; perſonalis materia eſt libertas naturalis, jus ſcil. cujuſque pro ſua voluntate & judicio agendi, ſuaſque res adminiſtrandi. Hujuſmodi juris parte aliqua, ad alterum tranſlata, ſubnaſcitur eidem jus perſonale.

Ad hanc diſtinctionem, cui & in lege naturali eſt locus, explicandam, primo monendum, quod mutua officia, & junctos plurium labores, ſaepe communis exigat utilitas: quodque, aucto hominum numero, multò foelicius ſuppetent cunctis res utiles, ubi quiſque ſibi artem aliquam eligens, in ea ſe exercet; ejuſque peritus, magnam comparat rerum quarundam copiam, quas rebus aliorum, diverſas artes exercentium, commutare poterit; quam ſi quiſque, per vices, omnes artes utcunque exerceret, in earum nulla ad inſignem perventurus ſolertiam.

Conſtat etiam, poſt homines multiplicatos, agros omnes ferè, brevi ita fuiſſe occupatos, ut non paucis, unde ſe alere poſſint, nulli reſtarent occupandi. His igitur relictae ſunt vires ſuae & artes, ut ſuis operis, vulgaribus, aut artificioſis, pro aliis rebus commutatis, ſibi res comparent neceſſarias. Locupletiores enimvero aliorum operis & artificiis, plerumque maxime indigent, quae ſalvo pudore, ab aliis gratis expectare haud poſſunt: crebris igitur opus erit pactis, (quorum natura deinceps plenius explicanda,) quibus & dominia transferantur; & jura perſonalia, ad certam menſuram aut *quantitatem* ab aliis exigendam, ſive *debita*, conſtituantur.

Convenit autem non raro inter paciſcentes, ut dominus, omni rei ſuae dominio neutiquam tranſlato, eam creditori ita ſubjiciat, ut niſi ad diem praeſtitutum, aliunde ſolutum fuerit debitum, ex ea re diſtracta, aut vendita, ſolvatur: hac ratione conſtituitur creditori *jus reale.* Aliquando patriſamilias aſſiduo & induſtrio, ita fidem habet creditor, ut nullam poſcat *hypothecam*; contentus jure perſonali, non unam aliquam debitoris rem, prae alia, reſpiciente. Ex damno item dato, ſimile oritur jus tantummodò perſonale. Commerciorum vero gliſcentium fides ſanctiſſimè ſervanda,

da, formulas quasdam exigit solennes & publicas; quibus adhibitis, plena intelligitur dominii fieri translatio, contractu nullo priore, qui latuerat, eludenda. Quod nisi obtineret, nemo quicquam emere vellet, sibi forte, ex contractu aliquo latente, cum tertio quodam prius inito, mox eripiendum. Obligationes suas quascunque, vir bonus sanctissime spectabit, etiam personales; commerciorum autem fides necessario servanda hoc exigit, ut pactis, bona fide & publicè, ad jura realia transferenda initis, jura cedant personalia, quamvis priora.

II. Jura *realia derivata*, sunt vel pleni dominii partes quaedam, a reliquis separatae, vel ipsa nova dominia. Partes quae separatae solent manere, sunt quatuor scil. 1. Jus possidendi rem alienam, quae sine vi aut dolo, ad aliquem pervenerat. 2. Jus hereditarium, 3. Jus pignoris aut hypothecae, 4. & servitutes.

Qui rem alienam, sine vi aut dolo possidet, vel novit eam esse alienam; vel ex causa probabili, credit eam esse suam: atque hic proprie dicitur *bonae fidei possessor*.

Qui vi aut dolo, sine justa causa, rem alienam possidet, ei nullum est jus: quum domino, aut cuilibet, ejus nomine, reposcenti, jus sit eam possessori injusto eripiendi,

di, ut domino reddatur. Qui tamen, ſine vi aut dolo, poſſidet quod novit eſſe alienum; ut qui res amiſſas aut naufragas invenit; ei jus eſt eas retinendi, validum contra omnes praeter dominum, aut ejus mandatarium repoſcentem. Qui ſi nullus vindicet, res cedit poſſeſſori. Tenetur autem poſſeſſor publicè denunciare, res eas apud ſe eſſe, domino repetenti reddendas: eas enim celaſſe, crimen habet furti. Recte tamen a domino exigit impenſas, in iis conſervandis aut denunciandis, prudenter erogatas.

Bonae fidei poſſeſſor, primo, rem tenetur cum fructibus extantibus domino reddere. 2. Dein ſi res, ejuſve fructus ſint conſumpti, tenetur domino praeſtare quantum ex rei alienae uſu factus eſt locupletior, quod rebus ſuis interea pepercerat; vel quantum, pro ſua conditione, ipſius interfuit, tam diu lautius vixiſſe. Iniquum enim eſt hominem, hominis non conſentientis incommodo, ſuum augere aut commodum aut voluptatem.

3. Ubi res ipſae, earumve fructus periere; ea praeſtare non tenetur bonae fidei poſſeſſor, aut fructus quos percipere neglexerat; utebatur enim rebus tanquam ſuis. Ceſſat autem bona fides, quam primum innotuit ipſi, probabilis ſuſpicandi cauſa, rem

eſſe

esse alienam: eaque cessante, omnia, *latâ culpa* neglecta aut omissa, praestare tenetur.

4. Quum rem oneroso partam titulo, domino reddit bonae fidei possessor, pretium ab authore suo recte reposcit.

5. Ubi auctor solvendo non est, haud aequior est domini causa, quam bonae fidei possessoris. Neque enim sanctius est domini jus, quam quo res emptione, successione, testamentis, aut donationibus tenentur; quippe quibus plerumque constituitur ipsum dominium. Quumque certum alteri aut utrique damnum sit ferendum, neque ulla publicae utilitatis ratio, uni prae altero faveat; inter eos dividendum videtur; nisi quid aliter suadeant humanitatis aut liberalitatis rationes. Si quis dixerit hoc esse utile, ut caveant emptores, ne res emant furtivas. Res suas, contra, diligentius custodiant domini; ne in eas, eorum negligentia amissas, aut raptui expositas, incidant viri probi, tanquam in laqueos.

6. Rem suam, a bonae fidei possessore alteri donatam, a donatario recte vindicat dominus, neque illi ullum est repetendi jus.

III. De jure *haereditario* certum est, eum qui pleno jure est dominus, posse rem suam, ad quemvis, in quemcunque eventum, & sub conditionibus quibusvis licitis transferre

transferre. Jus igitur, cujusvis haeredis substituti, non minus est sanctum, quam donatarii. Neque minus inhumanum est, cohibere dominum, ne ad haeredem substitutum, sibi carum, rem suam, in certum eventum transferat; quam prohibere ne amico vivus donet, aut ad haeredem proximum, in mortis eventum transferat. Non minus inhumanum est, haeredis secundi aut tertii spem, sine justa causa praecidere, quam amici dona intervertere. Rectè tamen leges civiles, in communem utilitatem, vetare possunt, ne in infinitum porrigantur haec jura, possessoribus forte gravia futura, aut ipsae civitati: prout prodigae & inconsultae donationes, aequi judciis sententia, rescindi possunt.

IV. Ad eorum jura quibus aliquid debetur confirmanda, dantur *pignora*, ea lege, ut res oppignorata, si non ante statum diem, solutum fuerit debitum, cedat creditori; quae est *lex commissoria*, nihil iniqui continens, si modo debitori reddendum sit, quod superest pretii, ex re vendita, post solutionem illius quod debebatur. Saepe vero non traditur res creditori; ast ipsi, in eam, per formulas quasdam publicas, constituitur jus reale, quod *hypotheca* dicitur. Quod cum sit, huic creditoris juri, cedunt omnia jura adversus debitorem personalia,

quamvis priora, quae non ante hypothecam constitutam publicè innotuerant. Neque rectè quaeruntur hi, quorum jura personalia juri cedunt reali subsequenti: sibi enim imputent quod posthabeantur ipsi, minore cautione contenti, iis, quos prioris sui juris non monuerant, quique majorem impetrarunt cautionem, citra quam, fidem debitoris haud fuissent sequuti.

V. INTER jura realia, denique, sunt *servitutes:* jura scil. "certi usus ex re a-"liena percipiendi;" quae ex contractu nascuntur; aut ex eo quod, in dominio transferendo, haec sibi prior dominus retinuit; aut denique ex lege civili. Servitutes omnes sunt jura realia, definitam rem spectantia; pro variis tamen, ut vocantur, *subjectis* quibus competere videntur, non *objectis* quae spectant, dividuntur *in reales* & *personales.* Hae in certi hominis gratiam constituuntur, eo defuncto interiturae. Illae in praedii vicini commoditatem constitutae, cuicunque ejus domino competent. Personales sunt, *usus fructus*, *usus*, *habitatio*, & similes quaedam aliae. Reales sunt vel *urbanae*, vel *rusticae*. Urbanae sunt *oneris ferendi*, *tigni immittendi*, *altius tollendi*, aut *non tollendi*, *luminum*, *prospectus*, &c. Rustica, contra, spectant praedia, *iter*, *actus*, *via*, &c. de quibus jureconsulti uberius.

CAPUT

CAPUT VIII.

De DOMINII transferendi RATIONIBUS, per CONTRACTUS, SUCCESSIONES, aut TESTAMENTA.

AB uno ad alterum tranſit plenum dominium, vel facto domini voluntario; vel abſque eo, vi legis naturalis aut civilis. Atque utroque modo tranſit, vel inter vivos, vel in eventum mortis.

Facto prioris domini, inter vivos, voluntario, tranſit dominium, vel gratis, *donationibus ;* vel ex cauſa oneroſa, in commerciis, ubi pro re datur res pretio aequalis, aut jus aliquod remittitur. Hoc donandi jus in dominio includi antea monuimus. De pactis erit poſthac agendum.

II. FACTO prioris domini, in eventum mortis, tranſit dominium per teſtamentum, quod, jure naturali, eſt " quaevis voluntatis domini, de bonis ſuis, in eventum mortis transferendis, declaratio," quae dilucidè probari poteſt; de iis enim quae probari nequeunt, & de iis quae non ſunt, idem eſt judicium.

Aequum esse ut testamenta valeant, quum nihil continent iniqui, ostendit ipsum dominii jus, & commune omnibus ferè consilium, in rebus ultra suos usus comparandis; ut, nempe, iis gaudeant illi, quos quisque habet carissimos. Durum esset & inhumanum, atque industriae inimicum, prohibere ne pro suo arbitrio, quisque res suo labore innocuo partas, ad quos velit, in quemcunque eventum, transferre possit. Grave foret, atque admodum incommodum, homines vivos & validos adigere, ut jus aliquod in res suas, ad cognatos aut amicos transferant, plenum & irrevocabile: crudele foret, morientibus illud qualecunque, amicis benefaciendi, solatium praeripere; crudele & iniquum amicis superstitibus, haeredibus institutis, aut legatariis, amicorum morientium beneficia, ipsis destinata, intervertere. Spreta igitur metaphysicorum subtilitate, dicentium, absurdum esse *hominem tunc velle aut agere, quum amplius velle aut agere nequeat*; testamenta recte consentur jure naturali confirmari.

Quum vero ex bonis nostris plurima sint praestanda, quae alii, jure perfecto, vel perfectis proximo, postulant; aes alienum dissolvendum, soboles conservanda, parentes egeni alendi; irrita erunt testamenta juri istiusmodi contraria. Immo, ubi desunt parentes

rentes & liberi, par eſt ut propinquis, inopiâ laborantibus, niſi manifeſta obſtet cauſa, detur teſtamenti inofficioſi querela. Leges naturales, non minus quam civiles, recte etiam proſpiciunt, ne quid teſtamento contra communem utilitatem ſanciatur: atque jubent eas, quibus falſariorum artes praecaveantur, in teſtamentis, ubi fieri poteſt, adhiberi formulas ſolemnes; citra quas, teſtamenta confirmari nequeunt.

III. LEGIS naturalis vi, vel invito priore domino, inter vivos transfertur dominium, ad id praeſtandum quod alter ſuo jure poſtulare poterat, quodque dominus praeſtare detrectaverat. Haec plenius erunt explicanda, quum dicemus de jure quod ex contractu oritur, aut ex damno, ſive injuriâ dato, ſive abſque injuriâ.

Legis item naturalis vi, ſine facto prioris domini, in eventum mortis, tranſit dominium, in *ſucceſſionibus ab inteſtato*. Cujus ſunt hae cauſae apertiſſimae; quod certum ſit homines, in bonis, ultra ſuos uſus, congerendis, ſemper hoc ſpectaſſe, ut iis proſint quos maxime diligunt. hoc hominum propoſitum, omnibus notum, continua eſt voluntatis teſtatio, ubi nihil contrarium diſertè ſunt teſtati. Liberi autem & cognati, pro communi hominum ingenio, caeteris fere omnibus ſunt multo cariores: at-

que his praecipue comparare ſtudent; non ſolum neceſſaria vitae praeſidia, verum & quae ad vitae copiam, & ornatum pertinent. Quin & liberis & cognatis egenis, ab ipſa natura, quae ſanguinis junctionem benevolentiae & caritatis vinculum eſſe voluit, tributum eſt jus, ſi non perfectum, certe perfecto proximum, ad neceſſaria vitae praeſidia, & ad ea etiam quae faciunt ad uberiorem copiam, & vitae proſperitatem, a parentibus & cognatis conſequenda, niſi juſtam iis dederint offenſionis cauſam. Durum eſt igitur, hominibus eripere hoc mortis inopinae, quam nemo ſatis cavere poteſt, qualecunque ſolatium, quod ſoboli & cognatis profutura ſint, quae ſuâ induſtria paravit. Haec liberorum & cognatorum, ex ſanguinis conjunctione, atque ipſa natura, orta jura, violare, & aequiſſimas, ex cognatorum benevolentia, ſpes intervertere, durum eſt & iniquum.

Quid; quod, ubi certus de cognatorum ſucceſſione mos invaluit, recte colligitur, defunctum, ſi modo nihil contra teſtatus ſit, bona eo more deſcendere voluiſſe: ea igitur ſuccedendi ratio eodem nititur juris fundamento quo & teſtamenta.

Ubi nulli ſunt liberi aut cognati propinquiores, eadem fere argumenta humaniora ſuaderent, ad ſucceſſionem vocandos eſ-

ſe

ſe amicos, ſi qui fuerant defuncto, caeteris longe cariores. Ubi tamen more, aut lege, cognati vel remotiſſimi, amicis praetermiſſis, vocantur; ex praeſumenda defuncti voluntate, illorum jus eſt potius; niſi oſtendi poſſit, cognatos hoſce defunctum fuiſſe peroſum. Moris a majoribus traditi, hae praecipuae ſunt cauſae, quod natura plerumque caros faciat cognatos: quod cognationis facillimè cernantur gradus, amicitiae vero difficillimè: quodque videamus eos, qui vitam habuerant, victumque communem, cum amicis, magis quam cognatis, his tamen prae illis, bonorum haereditates teſtamentis plerumque relinquere.

Cognati ad ſuccedendum recte vocantur pro cognationis gradibus, & gradu pares pariter. Primo veniunt liberi, inter quos rectè vocantur nepotes, ſaltem *ſecundum ſtirpes*; humanitas & aequitas aliquando vocarent *ſecundum capita*, ubi gravi plures orphani premuntur inopia. Una cum liberis rectè vocarentur parentes egeni, ad neceſſaria ſaltem vitae praeſidia; non inique una cum his vocarentur fratres probi & egeni. Ubi deſunt liberi parenteſque, vocandi ſunt fratres & ſorores; unà cum defunctorum liberis, in *ſtirpes* vocandis, ſi non aliquando in *capita*: qui ubi deſunt, ſobrini recte vocantur & conſobrini; iiſque non

ſuper.

ſuperſtitibus, eorum liberi, atque ita deinceps.

IV. Quamvis vitae civilis ratio non raro exigat, ut bonorum inteſtati pars melior maribus deferatur, quam quae foeminis, in eodem gradu; aut inter mares, ſeniori, major, quam quae juniori: haud tamen inter gradu pares, ingens, his de cauſis, ponet diſcrimen. Jus autem naturale, nullum facit diſcrimen inter gradu pares, ſexûs cauſa, aut aetatis: neque novit ſucceſſionem *linealem;* ubi uni, prae reliquis gradu paribus, defuncti perſona eſt gerenda, eique bonorum longe pars maxima tribuenda. Ea ſucceſſio eſt tota juris civilis, a natura & humanitate ſaepius longiſſime recedens. In primo enim gradu, ſexus praeſtantiae cedunt omnia alia; in ſecundo gradu & remotioribus, & ea praeſtantia, & ſanguinis etiam proximitas, poſthabetur dedefuncti olim parentis aetati, aut ſexui. Nepti enim, pronepti, aut abnepti infanti, ex filio ſeniore defuncto, poſthabebitur non ſolum nepos aut pronepos ex filio juniore; verum & ipſe filius ſecundus, annis & prudentia maturus. Atque ſimilia omnia fiunt inter fratrum & ſororum liberos, ad ſucceſſionem vocandos.

CAPUT

CAPUT IX.

De Contractibus.

Quum ad hominum ſalutem, ne dicamus de vitae jucunditate, neceſſariae ſint rerum permutationes & mutua auxilia; data eſt iis a Deo benigno, non ratio ſolum, ſed & oratio, ſive uſus ſermonis, quo ſententias, deſideria, voluntates, conſilia, propoſita, poſſint aliis declarare. Facultatis hujus comes eſt & moderator ſenſus quidam ſubtilior, ex veri etiam cognoſcendi appetitione naturali non parum confirmatus, quo vera omnia, ſimplicia, fidelia, comprobamus; falſa, ficta, fallacia odimus. Veritas autem & fides, non ſolum ſuâ propriâ nobis ſe commendant pulchritudine; mendacia vero & fraudes, ſua nos turpitudine offendunt; verum & manifeſta communis utilitatis ratio ad veritatem & fidem, tanquam communi ſaluti neceſſarias, bene ſanos invitabit; atque mendacia & fraudes oſtendet eſſe hominum generi peſtifera.

In operis aut rebus permutandis, in rebus communi plurium opera gerendis, ſen-

tentiae,

tentiae, voluntates, consilia sunt mutuò declaranda: atque ubi alteri affirmamus nos aliquid praestituros, daturos, eo fine ut ille vicissim aliquid det aut praestet, pacisci dicimur. Est enim pactum, "duorum aut plurium consensus in idem placitum, obligationis constituendae aut tollendae causa datus." Quod & contractus dicitur, jure enim naturali non distinguuntur.

Pactorum usus est omnino necessarius; nec minus necessaria rerum contractarum fides. Egent & locupletiores rebus tenuiorum & operis, quas gratis poscere nequeunt. Colloquiis igitur & pactis opus est, ut de rebus aut operis mutuo praestandis conveniat. Fingantur omnes ad mutuam opem vicinis amicè praestandam vel paratissimi; sine pacto tamen non potero mihi cujusvis opem polliceri. Quum enim ego vicini cujusdam opera indigeo, fieri potest ut ille aliis officiis sanctioribus, alii praestandis, distineatur; aut iis operam praebeat, qui sibi commodius vicem rependere possunt.

Sanctissima esse fidei servandae jura, non solum ostendit fidei lumen per se elucens, verum & gravissima quae vitam humanam vexant mala, ex perfidia orta. Fidem enim datam fallere caeteris paribus, magis

est

eſt contra naturam, graviorque injuria, & turpior; quam par officium humanum, alia debitum ratione, omittere aut denegare. Fide quippè violatâ, aliorum rationes ea innixae, graviſſime turbantur; ipſiſque damnum datur & contumelia, quod fidem noſtram fuerint ſecuti, quum alia ratione ſibi cavere potuiſſent, Ex commerciorum neceſſitate patet, jura, quae ex pacto aut contractu oriuntnr, eſſe perfecta, & per vim aſſerenda. Perfidus quantum in ſe eſt, omnia ſocia hominum officia è vita tollit.

II. PRAETEREA, quamvis vir bonus nullum ſibi, ex alterius inſcitia aut temeritate, commodum captaret; immo, quemvis a pacti, magis illi incommodi, quam ſibi commodi, obligatione liberaret, ſi modo damnum ſibi datum ſarciatur; tanta tamen eſt fidei in commerciis conſervandae neceſſitas, atque cavillationes excludendi, quae ſub levioris cujuſlibet incommodi obtentu naſcerentur; ut circa res quae ſunt commerciorum materia, hominumque prudentiae & poteſtati, lege naturali ſubjectae, pactis, quamvis temerariis, conſtituantur jura quaedam externa; quibus etſi uti nollet vir bonus, communis tamen utilitatis cauſa, ea ſunt eouſque confirmanda, ut, ubi in iis perſequendis perſtat is cui quid debetur, vim etiam adhibiturus, nemo ei recte

te vim opponere possit. De pactis hisce tenet haec regula "Plurima fieri non debent quae facta valent."

Commerciorum materia sunt operae nostrae, aut res illae, quarum commutationes crebras exigit vitae communis ratio, quibusque commutatis, neque violatur reverentia quae Deo debetur, neque cujusquam jus perfectum; quarum denique administratio, nulla legi speciali, nobis praeripitur.

III. A pactis diversae sunt nudae propositi nostri declarationes, quae neque in alterum jus transferunt, neque nos ad perstandum in eo consilio obligant. Ad pacta propius accedunt quae dicuntur promissa imperfecta, ubi intelligitur, vel ex verbis, vel ex more instituto, nullum nos cogendi jus, in alterum transferri; solà verò probitate, aut pudore nos obligari; atque ea solum lege, nisi *promissarius*, suâ culpâ, nobis mutandi consilii causamde derit, ita se gerendo, ut beneficio destinato fuerit indignus. Qua etiam de re judicium sibi reservasse intelligitur promissor; tantumque teneri ad damnum sua inconstantia datum resarciendum; quamvis sine causa, consilium mutasse videatur.

IV. In contractuum obligatione, & exceptionibus legitimis explicandis, tria sunt spec-

spectanda; *intellectus*, nempe, & *voluntas*, actionum humanarum duo principia interna; atque ipsa *materia* in qua versantur.

De intellectu patet, communem hoc exigere utilitatem, atque ipsam humanitatem, ne cui fraus inferatur, ex ipsius rerum suarum inscitia quae culpa vacat. Unde contractus *minorum*, qui ob judicii imbecillitatem, negotiorum suorum naturam nondum intelligunt, neutiquam obligant: quod de mente captorum, aut delirantium pactis est dicendum; atque etiam de pactis ebriorum. Quamvis enim ebrietas, non sine gravi culpa, poenis coercenda, arcessatur; dolosis tamen, ea occasione lucrum sibi captare, haud permittendum. Ubi alterum latuerat alterius ebrietas; tenebitur ebrius, discussa crapula, damnum, sua culpa alteri datum, praestare. Ebrietatis vero plures sunt gradus: quorum quidam, licet homines magis solitò incautos, aut temerarios faciant; non tamen eos omni rationis usu spoliant. Si quidem ex his omnibus darentur exceptiones, incertum foret omne inter homines commercium. De hisce vero causis, non aliter quam viri probi arbitrio interposito, sigillatim judicari poterit.

De immaturo minorum judicio, ante legis civilis definitionem, idem foret dicen-

dum. Cum aliis citiùs, aliis feriùs, efflorefcat commerciis idonea prudentia. Ne vero pacta omnia aut pleraque maneant dubia, & cavillationibus obnoxia; certa aetas, in omni hominum coetu eft determinanda, ad quam qui pervenerit, is fui juris cenfendus eft, & idoneus rerum fuarum adminiftrator. Haec aetas ita eft determinanda, ut quam pauciffimi animo maturi, a rebus fuis gerendis cohibeantur, & quam pauciffimi improvidi ad eas gerendas admittantur. Non malè ex jure civili receptum eft, ut ante annum quartum decimum exactum, in maribus, & duodecimum in feminis, impuberes, qui & pupilli vocantur, a rebus gerendis arceantur; fintque in naturali parentum tutela; aut, his defunctis, in eorum tutela quos vel teftamento parentes, vel leges civiles tutores conftituerunt, ad aetatem ufque pupillarem: qua elapfa, ad annum vicefimum primum, aut vicefimum quintum, ut olim jure civili, ita fint fub curatoribus, ut fine eorum confenfu nihil pacifcendo agere poffint minores, unde alteri jus nafcatur, aut res ipforum obligentur.

Contractu quidem minores non funt laedendi; neque tamen aliorum damnis funt locupletandi; ubi quid cum iis pactum fuerit, atque ab altera parte praeftitum, fi ipforum

ſorum interſit ut pactum confirmetur, tenentur poſtquam adoleverit ratio, promiſſa & conventa praeſtare : ſi non interſit; quicquid ex pacto ab altero acceperant, aut ejus pretium, reddendum; aut denique quantum ulla ratione eo facti ſunt locupletiores; aut quantum ipſorum interfuit, pro ſua conditione, ea olim accepiſſe. Non raro quidem, ante annos legitimos, res ſuas ſatis commodè adminiſtrare poſſunt minores; atque, ubicunque nullus intervenerat dolus malus, aut culpa, in foro Dei & conſcientiae, quod actum eſt, aeque ac inter adultos, valet.

Ubi quidem adſunt parentes, tutores, aut curatores publicè conſtituti; iis inconſultis vix ſine culpa aut dolo, de re graviori, cum minoribus poterit quiſquam paciſci. Qui nempe vehementi feruntur impetu & improvido, ad promittendum faciles, cupidi, utilium tardi proviſiores, liberales, ſpei pleni, & diffidere neſcii.

V. QUI ad paciſcendum permotus fuerat errore aliquo, circa rem ipſam, ejuſve *qualitates aeſtimabiles*, quarum plerumque, praecipua in pactis habetur ratio, pacto non tenebitur; eique, errore deprehenſo, quicquid ex pacto ſolverit reddendum. Non tamen ita cenſetur erraſſe, qui alias expectabat qualitates, quam prae ſe tulerat, quaeque in rebus iſtiuſmodi reperiri non ſolent.

Si vero tantum erratum fuerat de re alia, aut eventu diverſo, quo tamen errore aliquis ad paciſcendum permotus erat: deprehenſo errore, debet alter ex humanitate, poenitendi locum dare ei qui erraverat, ſi is omne damnum inde oriturum, praeſtare ſit paratus. Non tamen hoc pleno jure poſtulandum; niſi is qui erravit, illud de quo erratum fuit, tanquam pacti conditionem, diſertè declaraverit.

Rei, de qua initur pactum, natura, ejuſque *qualitates aeſtimabiles*, earumque defectus, quarum causâ pacta ſolent iniri, pacti *eſſentiam*, ut dicitur, attingunt. Ubi de his erratur; errore deprehenſo, non tenebitur qui erraverat. Ubi tantum de pretio erratum erat; deceptus jure ſuo exigere poteſt, ut quod ſibi defuerat ſuppleatur; aut quod ultra pretium dederat, reddatur: aut, altero hoc nolente, ut pactum ſit nullum.

Qui culpa ſua, aut temeritate, de rebus pacti praecipuis erravit, aut alterius errori cauſam dedit, alteri damnum datum tenetur praeſtare. Qui vero dolum malum adhibuit, tenetur praeſtare quantum alterius intereſt ut pactum bona fide expleatur.

Ubi tertius aliquis dolum adhibuit, eo non colludente, ſed inſcio, quo cum paciſcor; pactum erit ratum. Ab eo tamen, qui

qui dolum adhibuit, exigendum eſt quantum mea interfuiſſet, non deceptum fuiſſe.

VI. In pactis ſemper intelligitur, voluntatem adeſſe ſe obligandi, ubi ejus ſit ſignificatio. Neque ulla eſſet fides, ſi valeret exceptio, ex arcana voluntate, ſermoni aut ſignis editis contraria.

Vocibus & ſcriptis paciſcendi animus commodiſſimé declaratur; ſufficit tamen ſignum quodcunque, de quo inter paciſcentes convenit, aut quod, pro more conſueto, conſenſum indicat. Immo & actionum quarundam ea eſt natura, ut nemo, niſi inſanus aut improbus, eas ſuſcipiat, qui non certis pacti legibus etiam conſentit. Ex hiſce igitur, quemvis conſenſiſſe merito colligitur, ſi non contraria intervenerat praemonitio, aut aperta teſtatio. Ubi per eas actiones conſenſus indicatur, *pactum* dicitur *tacitum*. Quod eo criterio ſecernitur ab *obligatione quaſi ex contractu* orta, de qua alias, quod in hac, nulla obligationem tollere poteſt praemonitio contraria, in illo poteſt.

Primariis & expreſſis pacti legibus, ex rei natura, intelliguntur leges & conditiones tacitae ſaepe adjici, quales negotiis iſtiuſmodi adjici, ex rei natura, aut more, intelligunt omnes ſanâ mente praediti.

Ad rerum dominia aut alia jura ransfe-

renda, ſive gratis, ſive ex *cauſa oneroſa*, exigitur & accipientis & dantis conſenſus. Quum rem transferendi, aut amico donandi animus, haud indicet, aut rei ſuae projiciendae, aut alteri nolenti obtrudendae, voluntatem. Levioribus tamen indiciis colligitur, adeſſe rei utilis accipiendae voluntatem; & ſemper quidem ex praecedente rogatione, ſi ei reſpondeat quod eſt oblatum.

Quum autem in pleno dominio includatur jus, rem, ſub licita quavis conditione, aut in quemvis eventum, transferendi, aut amicorum fidei committendi, donec de ſperato eventu conſtiterit; de haereditatibus & legatis patet, valere teſtatoris voluntatem, eouſque ut manere debeant haereditates, & res legatae, apud fidei-commiſſarios, donec de haeredum eas adeundi voluntate, aut legatariorum accipiendi, conſtiterit. Quin & recte ſervantur res in eorum gratiam qui nondum ſunt nati. Iniquum eſt impedire teſtatorem, ne res ſuas, amicorum ſoboli, ſi qua ſuſcepta fuerit, conſervet. Iniquum eſt, beneficia a parentibus, cognatis, aut amicis, deſtinata, naſcentibus praeripere. Haeredi tamen aut legatario nolenti, nihil recte obtrudi poteſt. Infantium vero, & nondum natorum habenda eſt omnino ratio, & res haereditariae,

quamvis nullus ſit fidei commiſſarius, iis, ab humano genere, aut a quovis, occaſione oblata, ſunt conſervandae.

VII. Pendet contractuum vis ex contrahentium voluntate aut conſenſu; qui ſi tantum ſub conditione dabatur, hac deficiente, nulla erit obligatio. Debet autem de conditione adjecta utrinque conſtare, ne commercia omnia fiant incerta. Solae igitur valent conditiones, quas aut alteruter diſerte pacto adjecerat, aut ex negotii natura, utrinque intellectum iri, bona fide putaverat; non eae quas tacite alter in animo fovebat, in hujuſmodi negotiis non ſemper intelligendae. Si quid alter inter paciſcendum, praeſtare ſuſceperit, aut alteri affirmaverit, quo ad paciſcendum alliceretur, id quidem conditionis vim habere cenſebitur.

Quum contractus dividuntur in *abſolutos* & *conditionales*; conditio propriè eſt "eventus quidam, alteri, aut utrique paciſcentium, incertus, atque a pactis praeſtationibus diverſus; qui ſi non accidat, nullus erit contractus." Conditio aperte *impoſſibilis* adjecta, oſtendit nihil actum eſſe. De rebus illicitis, (quae aliquando dicuntur *moraliter impoſſibilia*,)ab alterutra parte praeſtandis, ſive de facinore turpi, mox erit dicendum. Facinus quidem turpe,

pe, a tertio quopiam, sine ullo paciscentium concursu, peragendum, potest esse justa conditio; si modo nullae ex pacto proponantur facinoris illecebrae.

Conditiones, si sint penes alterum paciscentium, dicuntur voluntariae, sive *potestativae*; si non sint, dicuntur fortuitae, sive *non-potestativae*; sunt & quaedam *mixtae*. Ad voluntarias aut mixtas praestandas, neuter obligari censetur.

VIII. CONSENSUM voluntarium impedire potest metus: cujus duplex est natura. Est enim aliquando suspicio probabilis alterum, postquam meam partem expleverim, me decepturum. Aliàs, denotat timorem ex gravi malo intentato ortum. De priore haec tenenda videntur. 1. Qui cum improbis & sceleratis, quorum mores antea noverat, sponte paciscitur, omnino tenetur. 2. Ast ubi post contractum, innotescit alterius improbitas aut scelus; non quidem eo ipso abrumpitur contractus; quod tamen a me praestandum est tantisper differre potero, donec contra istius perfidiam, mihi, pro viri prudentis arbitrio, satis sit cautum. Omnis quidem fides tolleretur, si nulla esset cum improbis & sceleratis servanda; cum nulla sint de moribus & virtute hominum indubitata criteria; atque pro mentis humanae caecitate, diversissimae,

mae, de aliorum moribus, apud diverſos, ſententiae.

De ſecundo metus genere, ubi metu mali mihi injuſte intentati, ad paciſcendum impulſus fui; duplex eſt quaeſtio, prout intentatum fuit malum ab eo quo-cum paciſcor, vel ab altero. Ubi ab altero, atque contra mala mihi intentata, viri cujuſquam probi auxilium arceſſo; pactum omnino eſt validum; niſi alia de cauſa, aliquid iniqui contineat. Auxilium enim in periculis avertendis praeſtitiſſe, eſt officium ſaepe utiliſſimum, & mercede digniſſimum.

Si quidem mihi immerito malum intentatum fuerat, ni cum tertio non colludente paciſcar, ego verò ei tertio metum meum celare cogar: pactum irritum erit, poſtquam oſtendero, metu injuſtè incuſſo, mihi ademptam fuiſſe libertatem, negotiis gerendis neceſſariam; omne tamen damnum, huic tertio a me datum, ut a me avertantur pericula, praeſtare teneor. Idem etiam dicendum, ubi, pro mea timiditate, metus nimius erat & temere conceptus.

Quae quiſpiam promittit aut paciſcitur legitimae poteſtatis metu, id etiam praeſtare tenetur: quum huic poteſtati jure ſubjectus eſſe intelligatur.

IX. Ast ubi metu mali injuſtè intentati, aliquid illi qui metum incuſſerat promiſſum

eſt;

eſt; hoc omnino ſpectandum utrum ſub juris ſpecie aliqua probabili, qua vir caetera probus aliquando decipi poteſt; an contra, nulla juris ſpecie obtenta, quae hominem iſtiuſmodi fallere poſſet. In priore cauſâ, quamvis qui metum incuſſit, nullum re vera jus acquirat, quo recte uti poſſit; remotiore tamen communis utilitatis ratione habita, quod actum eſt, jure externo nonnunquam valebit. De jure ſuo aliquando errare, humanum eſt. Hinc & inter homines haud improbos ſaepè naſcuntur bella, aut pactis, aut alterius internecione, finienda. Ut pactis finiantur longe ſatius eſt: quorum tamen nullus eſſet uſus, ſi ſemper valeret vis injuſtae & metus exceptio, quae utrique parti ſemper pateret. Contra foedera igitur pacem reducentia, non admittenda eſt haec exceptio, ubi ſpecioſae utrinque fuerant bellandi cauſae, & bellum erat ſub ſpecie juris tuendi ſuſceptum. Si quidem foederis leges ſunt omnino iniquae, humanitati omni contrariae, parti devictae, vitae conditionem miſeram omnino, & ſervilem reddituraе; haec, nulla juris ſpecie munita, non valent; juſta manebit exceptio.

Sin autem, nullâ juris ſpecie, vis ſcelerata, ad pacta extorquenda intentetur; pacta nihil valent. Vi enim iſtiuſmodi adhibitâ,

tâ, omnia hominum jura abdicantur: omnia quae ex lege naturali, aut hominum aequitate, poterant a quopiam flagitari repudiantur & remittuntur. Qui vim adhibet, se humani generis hostem profitetur, nullâque juris societate devinctum. Postulat communis utilitatis ratio, ut haec hominum monstra, quacunque ratione exscindantur. Neque dixeris promissorem, ex ipsâ negotii naturâ, huic vis & metus exceptioni tacito pacto renunciasse. Tacitonè pacto, is acquiret jus, qui ne pacto quidèm, diserte enunciato, in ea causa acquirere poterat; quique hìc ea agit, quae omnis humani juris abdicationem planissime continent?

Quamvis autem istorum hominum in omni aliorum jure pessundando, nulla habenda sit ratio; ubi tamen ad saniorem mentem redituri videntur, praeteritorum veniam petentes, ex locis munitis descensuri, arma tradituri, atque in posterum satisdare volentes; & ubi non sine innocentium strage, aut sanguine multo, coerceri aut deleri possunt; communis aliquando exigit utilitas, ut pacta cum eis inita, hisce finibus inservientia, sanctissime serventur: civibusque, quibus damnorum pensationem ab iis exigere, aut res suas vindicare, non permittitur, publicè praestandum est damnum.

X. UT

X. Ut pacta aut promissa valeant, ipsorum materia, aut res utrinque praestandae, intra paciscentium vires esse debent. Unde ad ea, quae a nobis volentibus fieri non possunt, quae dicuntur *impossibilia*, nulla est obligatio. Si quid promissum fuerat, quod postea casu, aut sine paciscentium culpa existit *impossibile*, omnia, istâ causâ data, sunt reddenda, aut compensanda. Ubi alterutrius dolus, aut *lata culpa*, in rei *impossibilitate* celanda, aut efficiunda, intervenerit, hic, quod interest, praestare tenebitur.

Debet etiam pactorum materia esse licita; id est, de iis tantum rebus aut operis, quae commerciis aptae, alienari possunt, quarumque administratio humanae committitur prudentiae, neque lege speciatim homini praeripitur. Ad ea enim praestanda quae vel reverentiam Deo debitam, vel alterius jus perfectum, violant, quae lege prohibentur *speciali*, vel quae nostrae non subjiciuntur potestati, nulla ex pacto nasci potest obligatio.

1. Si igitur paciscentium uterque, rem esse ita illicitam noverat, aut nosse debuerat, nulla erit pacti obligatio: conductori, ante facinus patratum poenitenti, quicquid ex pacto dederat reddendum est. Facinore autem patrato, neque patratori dandum

est

est praemium, neque datum conductor reposcere poterit: ab utroque poenae gravissimae expetendae.

Si post pactum initum, facinoris turpitudo, quae inter paciscendum latuerat, alterutri innotescat; ei, facinore nondum patrato, poenitentiae locus est. Qui conductus est, acceptam mercedem reddere tenetur. Neque facinore patrato, mercedem exigere poterit patrator, nisi ipsius ignorantia culpâ caruit: si modo ipsi, aequè ac conductori, turpe fuit facinus. Sin autem conductori soli adhaerebat turpitudo, rectè mercedem exigit. Humani generis interest, ut nulla sint istiusmodi scelerum invitamenta; nullaque in istiusmodi pactis fides.

Sin autem, eo tantum illicita sit rei cujuslibet praestatio, quod aliquis incautè, & contra viri prudentis officia, res suae potestati permissas administravit; rerum contractarum fides adeò sancte est servanda, ut "quae fieri non debebant, facta saepe "valeant."

Quod de re *impossibili* dictum est, tenet de re aut actione aliena, si quis de iis quae potestati suae non subjiciuntur pactus fuerit. Qui in istiusmodi pactis, aut promissionibus, dolo usus est, quod interest praestare tenebitur: qui culpa quemvis decepit, illi damnum praestandum

XI. Qui de re sua quavis aut opera pactus est, non omnem circa eam confestim amisit potestatem; nisi istiusmodi pactum fuit, ut totum rei dominium transferret, jus alteri constituens *reale* & plenum, omnemve, de operis suis in posterum paciscendi, facultatem sibi adimens. Unde, licet pactum, jus tantum *personale* constituens, antecesserat; tertio cuivis, prioris pacti inscio, constitui poterit *jus reale*, contra jus prius personale valiturum. Interveniente verò hujus tertii haud inscii, dolo, pactum erit irritum. Dolis enim confirmandis, pacto * itidem qualicunque, ad eludenda quaevis officia humana, planè excogitato, quum id neutrum contrahentium latere poterat, lex naturalis maxime adversatur. In aliis autem causis, "pactorum, quae cum eodem ineuntur, priori posterius derogabit." In pactis autem quae cum diversis conficiuntur, "quae jura tantum personalia constituunt, iis cedent quae jura constituunt realia;" si modo abfuerat illius dolus, aut *lata culpa*, ad quem trasferendum erat jus reale. In pactis denique quae cum diversis ineuntur, "qui tempore prior, jure potior."

XII. Paciscimur etiam per legatos & internuncios, sive *mandatarios*. Ubi nulla sunt mandata,

* Matth. 15. 5. Marc. 7. 11.

mandata, mutuò declaranda, legatorum potestatem, ejusque potestatis fines monstrantia; ad ea obligari censemur, quae legati pro sua prudentia gesserint: nisi ostendi possit legatos dolosè egisse, aut praemii spe fuisse corruptos; aut pactum adeò manifestè iniquum esse, ut, virô prudente arbitro, doli mali det indicia. Quas leviores, legati culpa, patimur injurias, eae in ipsum legatum vindicandae. Potestatis autem, legato permissae, finibus apertè declaratis, quod ultrà a legato actum fuerit, neutiquam obligabit.

CAPUT X.

De Sermocinantium Officiis.

DOCTRINAE de contractibus affinis est illa quae de usu sermonis versatur. Quum caeteris animalibus eo praestent homines, quod non rationis solum, verum & orationis facultate ornantur, qua praecipuè hominum societas continetur, vigentque commercia, atque officia omnia amica; eo Dei dono eximio ita utendum

eſt, ut exigit officii noſtri, communiſque utilitatis ratio.

De hac re haud ſanè levi, in ipſa naturae noſtrae ſtructura, non deſunt divini conſilii indicia. Senſu enim cujuſque proxime commendatur is ſermonis uſus, quem communis exigit utilitas. In prima & tenella aetate, proclives ſunt pueri ad omnia quae norunt palam declaranda. Simulationi omni & diſſimulationi natura repugnat; donec rerum uſu, incommoda non levia ſequi obſervantur, ſimplicem eam & apertam, omnium quae animo inſunt, declarationem, quam proxime & per ſe eſſemus comprobaturi. Suadebit quidem recta ratio, communis utilitatis cura, eaque quâ ſibi quiſque conſulit prudentia, ut nonnulla tegamus, taceamus, eumque primum animi impetum cohibeamus: hoc vero ſtabile conſilium, eo tantum utendi ſermone, qui cum animi ſententia congruit, quique alios non decipiet, comprobant & animi ſenſus, per ſe, & utilitatis communis ratio, ſive de noſtris, ſive de aliorum moribus judicemus.

Quum enim non ſolum cognitionis noſtrae pars magna, aliorum ſermonibus innitatur; verum etiam vitae negotia & conſilia, eâ regantur rerum humanarum notitia, quam ex aliorum ſermonibus comparamus, quorum

quorum plures, nullo proprio juris vinculo, animi ſui, his de rebus ſententias, nobiſcum communicare tenebantur; niſi in ſermone ſervaretur fides & veritas, omnia haec vitae ſociae commoda tollerentur, omniſque ea vitae jucunditas, quae ex mutua in aliorum verbis fiducia oritur.

Quae de ſermone ſunt dicta, ad alia etiam ſigna pertinent, quae ad animi ſententias declarandas adhibentur, ſcripturam, nempe, vel vulgarem, vel hieroglyphicam, aut ſymbola.

II. SIGNORUM autem, quorum ſignificatio, ſive ex ipſorum natura, ſive ex inſtituto aut conſuetudine pendet, * duplex eſt uſus: unus, ubi is qui ſignis utitur, neutiquam profiteri intelligitur, ſe animi ſui ſententiam cum aliis communicaturum. Qui ea ſigna cernit, pro ſua ſolertia, quaedam colligit eſſe vera, quamvis nihil cauſae ſit cur credatur, alterum eo animo ſigna dediſſe, ut ſe rei cujuſvis faceret certiorem. Alter ſignorum uſus eam in ſe habet vim, ut juſtam det cauſam colligendi, iſtum qui ſigna dederat, eo feciſſe animo, ut nobis rem aliquam indicaret: quod & ipſo ſignorum uſu, prae ſe ferre videtur.

In ſignorum uſu prius memorato, nulla propria eſt obligatio: ne quis enim, ſine juſta

* Vid. Grot. de J. B. & P. l. III. 1. 8.

justa causa, alterum laedat, est obligatio communis. Ubi tamen, ut in bello justo, justa est laedendi causa, nihil prohibet, quo minus his utamur dolis, quae & *stratagemata* dicuntur. Immo, si nemini noceatur, hoc signorum usu, vel amicissimum fallere licebit.

De altero signorum usu longe aliter statuendum: nullo enim, sive inter omnes, sive inter eos qui colloquuntur, praeeunte pacto, hic signorum usus, pacti taciti vim continet. Qui enim ea alteri dat signa, cum eo recte intelligitur pacisci, se animi sui sententiam, per haec signa, ei declaraturum, secundum interpretandi modum, vel naturalem, vel usu institutum, nisi subsit causa aliqua, utrinque cognita, cur ab eo deflectat. Si enim nulla istiusmodi subsit pactio, frustra quisquam alterum alloqueretur, frustra alloquenti auscultaret.

Hae igitur de sermone scriptisque leges.

1. Prima; "Ubi aliis est jus qualecunque, "veras loquentium sententias sciendi, non "solum vera sunto quae dicuntur, verûm "nihil celanto." Quae testium in judiciis est causa, eorumque qui artem aliquam totam, alios docere sunt polliciti.

2. Altera lex est. "Quamvis aliis nul"lum sit jus proprium, ubi tamen eos al"loquimur, nihil dicendum, quod non a-
"nimi

"nimi ſententiis ſit conſonum, ſecundum "interpretandi modum, qui apud probos "& prudentes invaluit." A mendacii igitur crimine non eſt immunis, qui ſermonem animi ſententiae diſſonum profert, quamvis inſolita quadam interpretandi ratione, aut per adjectionem quandam in mente ſuppreſſam, conſonus effici poſſit. Permiſsâ enim, artium iſtiuſmodi licentia, omni dolo & fraudi patebit via.

III. QUO plenius cernatur hac in re officium, haec ſedulò obſervanda; 1. Signa omnia, verba praecipue & ſcripta, ea ratione quae in morem abiit, adhibenda eſſe, non ſpectata etymologia, aut antiqua quavis ſignificatione, & inuſitata. Verborum formulis, honoris aut urbanitatis cauſa, vulgò uſurpatis, nemo decipitur; neque enim ea ſignificare intelliguntur, quae in aliis rebus adhibita ſignificarent.

2. Si omnibus quorum intereſt innotuit, in quibuſdam rebus, conceſſam eſſe fallendi licentiam; neque eum qui decipitur, ubi verum reſciverit, de injuria quaeri ſolere; plurimae ſunt ſimulandi, aut diſſimulandi artes, quae omni vitio carent. Quod non ſolum in rebus ludicris, verum & ſeriis quibuſdam, obtinet; ubi nos aliorum prudentiae regendos permiſimus; ut medicis, aegroti, imperatori, milites.

3. Quin

3. Quin etiam, si mos inductus fuerit, ut hostes fictis sermonibus se invicem, ubi possunt, decipiant; neque decepti, ea de causa quaerantur, jura gentium humaniora, fuisse ab hoste violata; censeri potest, nova quadam pactione tacita, remissum esse jus illud, ex pactione ea tacita ortum, quam in se continet ipsum alloquium. Haud tamen, sine causa gravissima, vir animi candidi & probi, ea arte uti vellet; quum turpitudinis non levis speciem habere videatur.

4. Pactis autem, vel foederibus quibusvis, hostem decipere, neque unquam receptum fuit, nec recipi debet. Non enim absque foederibus, conservari possunt mitiores & humaniores, belli gerendi rationes; aut maxima hominum saevitia praecaveri, aut denique, sine alterutrius partis internecione, vel miserrima servitute, pax bello mutari potest.

5. Haec vero in sermone, verborum obligatio, ut & caeterae omnes in conventione tacita fundatae; tempestiva, omnium quorum interest, praemonitione, tolli potest aut praecaveri.

6. Praeter exceptionem vis & metus, antea memoratam, aliam dandam volunt nonnulli, hinc ortam, quod nonnunquam non alia ratione quam mendacio, a viris innocentibus

centibus & optimis, aut a populo fortè universo, averti possunt mala gravissima. Qualiscunque sit hujus exceptionis vis, patet eam non huic loco soli convenire, quum in aliis fere cunctis legibus, quae dicuntur speciales, ut postea docebitur, ei itidem sit locus.

7. Ubi insidioso & maligno consilio, explorantur hominis cujusquam, de certa re sententiae, easque captiosis quaestionibus eliciunt inimici, nullo suo utentes jure; ubi & ipsum silentium totam rem aperiret, & malis gravioribus causam praeberet; si quidem homini occurrat istiusmodi responsio, quae viris probis, nullo praejudicio, aut affectu pravo, in ea interpretanda occaecatis, veram indicaret sententiam, quae tamen responsio aliud longe insidiosis hisce significare videbitur; eâ licebit viro bono uti, quamvis inimicos ea ratione deceptum iri praevideat.

8. Quum fides in omni sermone conservata, tantam hominum vitae afferat utilitatem, haud levioribus de causis, quales saepe occurrunt, mendacio uti licebit: veluti ad iratos demulcendos, moestos consolandos, aut levius aliquod commodum consequendum, aut malum minimè gravissimum, effugiendum. Alia enim ratione, vera nimirum & simplici, istiusmodi bona

comparari

comparari, eaque mala vel averti, vel fortiter ferri, plerumque poſſunt. Atque licet ſemel proſperè cedere poteſt mendacium, quum nondum innotuit, nos nulla ſermonis religione teneri; ubi tamen hoc palam factum eſt, paſſimque vagatur haec mentiendi licentia, nemini ulla eſſet authoritas, omniſque tolleretur fiducia. Hactenus de fide in verbis ſervanda.

IV. Alia autem ſunt ſermonis ſanctiſſima officia. Illud inprimis, ut quiſque aliis ſermone prodeſſe ſtudeat, verâ virtute laudanda & ſovenda, vaniſque hominum de foelicitate, & vitae proſperitate, opinionibus & ſomniis corrigendis: utque docendo, monendo, hortando, conſolando, quandoque & objurgando, benefaciendi amicam exerceat voluntatem. Inter quae officia ſunt haec honeſtiſſima, averſos componere amicos, inimicitias praecavere, & diſſidentes conciliare. Neque quicquam cautiùs vitabit vir bonus, quam alterius cujuſquam famam laedere. Immo non ſolum a falſis abſtinebit criminibus; verum, ubi nulla major utilitas, aut innocentium, ne a recto tramite ſeducantur, cura, contrarium exegerit, arcana aliorum celabit vitia. Famâ enim amiſsâ, difficilius ad meliorem revocantur frugem, quorum vita vitiis eſt mendoſa: & quo plures vitiis conſpiciantur

ſpiciantur cooperti, eo aliorum flagitia fiunt impudentiora.

Obſervarunt grammatici, plurima rerum nomina, praeter rem primario loco denotatam, adſignificare etiam loquentis affectus: inde fit ut res plurimae tribus notentur nominibus, uno medio, rem nudam exhibente; altero, loquentis etiam delectationem, amorem & cupidinem, notante; tertio denique, contrarios odii & offenſionis motus. Hinc conſtabit, quamvis nullum ſit Dei aut naturae opus, viri boni cognitione & ſermone indignum, magna tamen in ipſo ſermone prodi poſſe animi vitia, ubi de hominum agitur vitiis & libidinibus; quum ſcil. adibentur voces quae loquentis indolem flagitioſam produnt, atque in audientium animis, ſimiles incendunt libidines. Hic vero eſt ſermo obſcoenus & deteſtandus.

CAPUT

CAPUT XI.

De Jurejurando & Votis.

AD pacta hominum, promissa, & testimonia de rebus gravioribus confirmanda, accedit jusjurandum. Est autem jusjurandum "actus religiosus quo ad rem "dubiam confirmandam, Deus testis & "vindex invocatur." Tanta est in omni pacto & sermone, viri boni fides, ut eum jurejurando adstringere non sit opus, apud eos quibus est notus. Ast ubi eorum res aguntur, quibus viri probitas non est perspecta; apud eos jurejurando, illius & promissa & testimonia sunt confirmanda; quum jurejurando nulla insit in Deum impietas, sed potius pietas. Qui enim religiose jurat, Dei omnia intuentis, & regentis, providentiam simul & justitiam agnoscit.

Quum autem apud omnes gentes semper invaluit haec persuasio, justa Dei providentia mundum administrari, & improbis supplicia irrogari; Dei testis & vindicis invocatio, altius officii sensum hominum animis infigit, eosque poenarum metu a fraude

de deterret. Neque enim cenſendum eſt, ea invocatione Deum magis attentum fieri, aut acriorem perfidiae vindicem; aut conſenſu noſtro novum puniendi jus illi tributum. Longè quidem gravius fit perfidiae ſcelus, ubi quis promiſſum aut pactum juratum violaverit; aut juratus, alios teſtimonio deceperit.

De re leviore jurare, aut nulla de cauſa, omnino impium eſt. Quum numinis reverentiam, quae bonis debet eſſe perpetua, imminuat, ſummaeque majeſtatis contemptum prodat. Ubi autem crebra in civitate ſunt perjuria, eorum crimine premuntur & rectores, ſi jusjurandum levibus de cauſis, & quum minime eſt neceſſarium, ſaepius exigatur; aut ubi de eo praeſtando, quod a juratis poſtulamus, jurejurando caveri nequit; vel quia res ipſa fieri non poterit, vel quia juratis nonnunquam illicita videbitur: aut ſi exigatur ubi gravia ſunt perjurii invitamenta, una cum ſpe homines impunè fallendi. Peſſime etiam de religione merentur, qui non gravem aliquam & ſolennem verborum formulam, ad animos hominum religionis ſenſu afficiendos idoneam, in jurejurando adhibent.

II. QUAMVIS in jurejurando, fruſtra invocetur aliquid divina poteſtate deſtitutum, tanquam teſtis & vindex; jurandi tamen

men ſunt formulae, non quidem ſatis commodae, aſt haud plane illicitae; ubi Dei nomine non adhibito, qui jurat, in rem aliquam, ſibi caram admodum aut neceſſariam, Dei vindictam imprecari intelligitur, aut ubi Deus ipſe, per metonymiam invocatur.

Fruſtra autem adigeretur aliquis ad jurandum per eum, quem neque divina poteſtate praeditum, neque exercere in homines imperium credit. Sunt vero Dei veri deſcriptiones omnibus communes, quibus utendum erit, quum a pluribus, diverſa de Deo ſentientibus, exigendum eſt jusjurandum.

In jurejurando, ut de pactis dictum, is rite cenſetur juraſſe, atque perjurii poenis, ſi fidem fefellerit, eſſe obnoxius, qui jurandi animum prae ſe ferens, ea quae a jurantibus ſolent, ſigna adhibuit.

Quamvis jusjurandum, una cum promiſſo aut teſtimonio, in eadem ſententia includi poſſit, eſt tamen jusjurandum actus ab omni pacto aut narratione diverſus; Dei nempe teſtis & vindicis invocatio, ſi quid contra officium egerimus. Unde patet, hominum officia jurejurando haud immutari; aut novam, quod ad materiam attinet, obligationem conſtitui; aut promiſſum pactumve juſta de cauſa irritum, ratum fieri; aut juſtam excludi

cludi exceptionem ; aut *conditionalia* mutari in *abſoluta* ; aut ratum fieri quod contra jus alterius perfectum, aut de re aliena, poteſtati noſtrae non commiſſa, factum eſt ; aut quod pietatem Deo debitam violat, legeſve definitas, quas vocant *ſpeciales*, certas actiones omnino prohibentes, & paciſcendi de iis omnem nobis adimentes poteſtatem. In rebus vero noſtrae poteſtati permiſſis, ut ſimplici pacto, ſic multo magis eo quod jurejurando confirmatum eſt, obligamur ; quamvis temere, & contra prudentiae & humanitatis officia, jurati promiſimus : niſi paciſcentium intervenerit dolus, ad eludenda officia quaedam humaniora.

III. Sine acceptione autem, nulla erit promiſſionis obligatio ; quin & iſte cui promiſſum eſt, de ſuo jure cedere, & promiſſorem liberare poteſt. Quod fiet etiam, tempeſtive declarato ejus diſſenſu, cujus conſenſus prius erat neceſſarius, quam poſſit vel promiſſor ſe ad rem quamlibet praeſtandam adſtringere, vel alter rem oblatam accipere.

Ubi júsjurandum quiſquam ſuo jure a nobis exigit ; ſi de ipſius ſenſu conſtet, eo ſenſu nobis eſt jurandum, ſi ex animi ſententia fieri poſſit : ſin minus, a jurejurando eſt abſtinendum. Neque delegati, qui aliorum nomine, eorum forte qui ſummo im-

perio praeſunt, jusjurandum exigunt, formulam praeſcriptam interpretandi jus habent.

Jusjurandum pro vario uſu, eſt vel *promiſſorium* quod vocant, vel *aſſertorium.* Hoc, judice exigente, dicitur *neceſſarium;* & litigantium alterutro, coram judice, alteri id deferente, dicitur *judiciale.* Si extra judicium ſponte juretur, dicitur jusjurandum *voluntarium.* Quod in actionibus *criminalibus*, ad probationem imperfectam refellendam exigitur, dicitur *purgatorium.*

Ubi autem de capite agitur aut fama, quum tanta ſint ad pejerandum invitamenta; minime commoda videtur aut juſta quaeſtionis exercendae ratio, jusjurandum exigere purgatorium. Hac enim ratione abſolventur perjuri & ſcelerati, convincentur illi ſoli, quibus tanta eſt pietas, ut ne vel ad famam aut vitam tuendam, ſe perjurio ſint adſtricturi: quos vir bonus, incerti criminis, (cujus homines tali indole praeditos, mox ſerio plerumque poenitet,) poenas effugere mallet; quam ut ſua ipſorum pietate teneantur.

IV. VOTUM eſt promiſſum religioſum, quâ ipſi Deo, ad certas res aut operas praeſtandas nos adſtringimus. In votis, non intelligitur jus ad homines eſſe tranſlatum, niſi & pactum interceſſerit.

Votorum

Votorum unicus eſt uſus, ut Deum ſanctiſſimum, juſtiſſimum, omniaque intuentem verentibus, conſtantiora fiant pia omnia & honeſta agendi conſilia; eoque magis officium deſerere vereamur, ne nosmet etiam atroci perjurii crimine implicemus.

Quum autem ſine illius conſenſu cui promiſſum eſt, nulla ſit promiſſi obligatio, conſtetque Deum opt. max. quae quiſquam contra officium quodvis, temerè, incautè, aut timidè, promiſerat, accipere nolle; quumque homines incautos, meticuloſos, iracundos, aut ſuperſtitioſos inſidiosè captare; aut contra communem utilitatem, aut humanitatem, certis hominum ordinibus favere, & in eorum opibus augendis, ſe procuratorem oſtendere vafrum, omnia undique corradentem, Deo minimè ſit dignum; hinc ſatis efficitur votum non obligare, ad ea facienda aut praeſtanda, quae non piè & humaniter, citra votum, fieri poterant aut praeſtari. Multo minus valent vota, quae ex odio, invidia aut ira injuſta, aut nimia; aut contra cujuſlibet jus perfectum, aut ipſa aequitatis & humanitatis officia, ſuſcipiuntur. Neque igitur nova obligationis materia, per vota conſtitui poterit.

CAPUT XII.

De Rerum Pretio.

QUO facilius res & operae inter homines permutari poſſint, earum pretia ſunt aeſtimanda. Nemo enim res inſignis & diuturni uſus aut voluptatis, mutare velit iis, quarum exigua eſt utilitas aut voluptas: neque res quae multo parantur labore; rebus parabilibus.

Rei cujuſvis pretium omne huic nititur fundamento, quod res ipſa ad uſum aliquem aut voluptatem miniſtrandam eſt apta; abſque hoc, nullum erit pretium. Hoc autem poſito, rerum pretia majora erunt, prout major eſt hominum *indigentia*, ipſaeque res difficiliùs parantur. Indigentia erit major, pro ambientium numero, & majore rerum neceſſitate, aut uſu gratiore. Acquirendi difficultas ex plurimis oritur cauſis; nempe ex ipſius materiae penuria, ex acquirendi labore, ex caſibus iis qui proventum aliquando faciunt minus uberem; ex ingenii rarioris elegantia, quae in artibus quibuſdam exigitur; ex artificum dignitate,

eorumque

eorumque honeſtiore & lautiore, pro noſtratium moribus, vivendi conditione: hujus enim ſumptum ſuppeditare debent artificiorum pretia.

Rerum autem utiliſſimarum ſaepe nullum, ſaepe exiguum eſt pretium. Ubi enim earum tanta eſt copia, ut ubique nullo fere labore reperiantur, nullum erit pretium: ubi labore facili & minime artificioſo comparantur, exiguum. Pro inſigni enim Dei bonitate, quae res ſunt utiliſſimae, & maxime neceſſariae, illae copioſae ſunt & parabiles.

Rebus quibuſdâm utiliſſimis, nullum eſt pretium, quia ſunt ſua natura communes; aliis, quia in commercia non aliter veniunt, quam tanquam aliarum rerum appendices, quarum pretia quidem augere poſſunt, non vero ipſae per ſe aeſtimari; aliis denique, quia lege, vel naturali vel poſitiva, prohibetur earum emptio venditio. Cujuſmodi ſunt res, aut officia, aut jura ſacra; eaque ſtipendia, quibus alendi ſunt viri, his officiis obeundis deſtinati; aut quae illorum fidei committuntur, ut ſint eleemoſynarum materies. Horum emptio venditio, ex nota ſatis hiſtoria, *ſimoniae* nomen eſt conſecuta.

II. Quum vero ſaepe incidere ſoleat, ut mihi ſuppetat quarundam rerum, ultra meos

meos usus, copia, desint autem aliae, quarum est apud alium copia; ille vero nulla re mea indigeat: quumque ego rem mihi non necessariam, pro re alterius mutare velim, mea tamen alterius rem pretio longe superet; nec tamen, sine gravi dispendio, in partes secari possit: ad commercia expediunda, constituendum est pretium aliquod *eminens*: id est, res quaedam, aliarum rerum omnium mensura, ad quam earum pretia exigantur, est constituenda, cujus tanta est indigentia, ut quisque res suas cum ea mutare velit; quoniam ejus ope res quasvis sibi comparare potest. Hinc ejus rei, ob id ipsum quod aliarum sit mensura, existet maxima indigentia.

Huic rei quae aliarum sit mensura, hae debent esse qualitates; imprimis, ut sit pretiosa, ita ut ejus pondus exiguum, & portatu facile, majorem aliarum rerum molem, aestimatione aequet. 2. Ut sit aliquid stabile, neque sua sponte brevi periturum, neque multum usu deterendum. 3. Ut sine dispendio quasvis admittat divisiones. Ea verò omnia, solis metallis rarioribus, auro nempe, & argento conveniunt; quae igitur, omnis pretii mensurae, apud gentes cultiores, sunt constitutae.

III. Ad praecavendam vero omnem in laminis accurate dividendis molestiam, atque

qūe ut cautum ſit de metallorum puritate, inventi ſunt nummi; quorum excudendi poteſtate, viris fidis commiſsâ, & de metalli puri & non adulterati, quod ſingulis nummis ineſt, juſto pondere, cautum erit; & quaevis, de qua conventum eſt, ſumma, ſine moleſtia perſolvi poterit.

III. Vera metallorum, quin & nummorum, atque rerum ferè omnium aeſtimatio, pro majore eorum copia, imminuitur, pro minore augetur. Res per ſe ad vitam neceſſariae, pretia retinent ſtabiliora; quae tamen, pro majore aut minore anni cujuſque ubertate, immutantur. Ad ſtipendia autem perpetua, aut reditus certos conſtituendos, quibus homines, ſemper in eadem vitae conditione ali poſſint, certae earum rerum menſurae, quae ſimplici hominum labore non artificioſo comparantur, ſunt potius definiendae.

In nulla civitate cui ſunt cum vicinis commercia, ullo imperantium decreto immutāri poſſunt vera nummorum pretia, earumve aeſtimatio, pro ratione quam ad merces habent. Non enim nummorum nomina apud nos legitima curant exteri; metallorum tantummodo ſpectantes quantitates; iis igitur mercium pretia reſpondebunt. Verumtamen, poſt nummorum nomina lege conſtituta, multorumque cum multis res rationeſ-

rationesque contractas, & pactiones, de pecuniae, his nominibus definitae, summis numerandis; nummorum pretio lege nova aucto, fraudantur creditores; & imminuto, fraudantur debitores.

Quin etiam eveniet, ut metallorum inter se aestimatio nonnunquam immutetur, si aut alterutrius major solito effodiatur copia; aut si alterutrius tantum, magnus sit in vitae cultu & ornatu usus, aut si magna ejusdem vis exportetur. Et nisi in eadem ratione immutentur nummorum pretia legitima, exportabuntur nummi quibus, pro vera metalli aestimatione, justo minus imponitur pretium; & invehentur illi quibus nimium, non sine gravi civitatis incommodo.

Sicubi pro hujusmodi nummis, fiant alii ex metallis vilioribus; quod dignitate deest pondere compensandum; aut secus, cessabunt cum exteris commercia. Quae nummorum vice funguntur chirographa quaedam, aut tesserae, eam vim ideo tantum obtinent, quod de veris nummis solvendis idoneam faciant fidem.

CAPUT XIII.

De variis CONTRACTUUM GENERIBUS post Pretia Rerum constituta.

DIVIDUNTUR contractus in *beneficos* & *onerosos*. Benefici, ubi intelligitur, contrahentium alteri commodum aliquod gratis afferri: onerosi, ubi hoc agere profitentur paciscentes, ut res vel operae pretio aequales mutuo transferantur.

Beneficorum tria sunt genera decantata, *mandatum*, *commodatum*, & *depositum*; quibus accenseri potest mutuum gratuitum.

Mandatum est "contractus ubi quis alterius negotia, sibi commissa, gratis obeunda suscipit." In quo si rei expediundae ratio fuit praescripta, eam observare tenetur mandatarius; aut suo periculo ab ea recesserit. Si vero negotium ipsius prudentiae permissum fuit; non perfectae obligationi aut officio defuisse censebitur, si eam adhibuit diligentiam, quam istiusmodi negotiis, & suis, adhibere solent viri probi & diligentes. Neque ad damnum culpâ quavis levissima datum, praestandum tenebitur;

nebitur; nisi vel summam pollicitus fuerat diligentiam; eamve plane exigat negotii natura; aut ultro se obtruserat, ubi aptiorum aderat copia.

Enimvero de omni contractu benefico tenendum, eum qui in alterum contulit beneficium, non graviorem subire obligationem, quam vel disertè suscepit, vel suscipiendam plane monuit ipsa res. Eum vero in quem confertur beneficium, pro gratiae referendae officio, ad summam adstringi diligentiam, atque ad omne damnum culpa datum praestandum; ne quem suae beneficientiae poeniteat.

II. *Commodatum* est " contractus quo " quis rei suae usum alteri gratis concedit." Tenetur *commodatarius*. 1. Ad summam diligentiam, & damnum vel levissimâ culpa datum praestandum. 2. Ad omnem etiam casum, cui res apud dominum non fuisset obnoxia, praestandum; nisi commodator humaniter de jure suo cesserit. 3. Neque alium recte capit usum quam qui est concessus. 4. Elapso deinde tempore, reddenda est res salva, neque magis detrita, quam usu concesso voluisse censendus est commodator. 5. Humanitas etiam juberet, ante tempus elapsum, rem domino magis ea indigenti reddere, aut damnnm ex eo quod non reddatur ortum praestare.

Tenetur

Tenetur contra *commodator*, ſumptus omnes in rem ſuam factos commodatario praeſtare, praeter eos qui ad rei habilis uſum ſunt plerumque neceſſarii; aut ſaltem perſolvere quantum res ſua facta eſt utilior, & ipſe ideo locupletior. A commodato diſtinguitur mutuum gratuitum, quod hoc in rebus conſtituatur *fungibilibus*, quae non in *ſpecie* ſed in *genere* redduntur: i. e. in aequalibus menſuris, ponderibus, aut quantitatibus.

III. *Depoſitum*, quod eſt mandati genus, eſt " contractus, quo quis rem alie" nam, a domino commiſſam, gratis cuſto" diendam ſuſcipit." *Depoſitarius* ad mediam viri prudentis diligentiam tenetur, & ad damnum lata culpa datum, praeſtandum. 2. Neque re depoſita, ſine domini conſenſu, uti licet. 3. Eam domino repoſcenti debet reddere, niſi ad facinus aliquod patrandum repoſcat, quod depoſitarius jure ſuo per vim prohibere poteſt. 4. Depoſitarius ab omni ſumptu & impenſis in re cuſtodienda prudenter erogatis, immunis eſt ſervandus.

In his contractibus, ut etiam in tutela & negotiis geſtis, ad illud conſequendum quod primo & praecipue ſpectabatur, datae erant actiones directae: ut contra mandatarium, ad res rationesque reddendas; contra

commodatarium & depositarium, ad res reddendas. His autem dabantur actiones contrariae, ut damna sibi & sumptus praestentur.

IV. In contractibus onerosis, profitentur contrahentes, se res *corporales*, aut *incorporales*, quae dicuntur, sive jura, mutuo transferre aestimatione aequales. Atque idcirco inter bonos nihil simulandum aut dissimulandum: omnes mercium aut rerum *qualitates aestimabiles*, earumve defectus & vitia sunt declaranda: & ubi temere ab aequalitate recessum est, minus habenti quod deest, viri prudentis arbitrio supplendum; idque jure perfecto exigere potest. Quamvis, ne fatigentur praetores, nisi ob injurias graviores non dantur in foro actiones.

A contractibus onerosis, eo secernitur donatio reciproca, quod in hac rerum datarum non spectatur aequalitas.

Ex dictis de pretio constat, in mercium pretiis aestimandis, habendam esse rationem, non solum pecuniae, in iis emendis, apportandis, custodiendis, erogatae, atque usurae cessantis; verum & laboris ab ipso mercatore impensi; cujus pretium pro hominum istiusmodi conditione honestiore est aestimandum, & mercibus imponendum. Hoc vero laboris pretium & curae, est vulgaris & quotidiani mercatorum lucri fundamentum. Quumque merces invectae aut expor-

exportatae variis ſint periculis obnoxiae, ad ea praeſtanda, mercium ſervatarum pretium, pro periculorum ratione, non injuriâ augetur. Quum etiam damnis obnoxii ſunt mercatores, ex eo quod mercium, quarum copiam invexerant, pretium, inſperata apud alios copia imminuatur; ad haec etiam praeſtanda, lucrum juſtum ſibi captant ex mercibus copioſius convectis, quum inſperatâ earundem apud alios penuria pretium augetur.

V. CONTRACTUUM oneroſorum haec ſunt genera. 1. Permutatio, quum res re mutatur.

2. Emptio venditio, quum " res pecu-" nia mutatur." Hujus forma ſimpliciſſima eſt cum merces traduntur, pecuniâ ſoluta. Si vero de mercibus ad certum diem tradendis conveniat, pretiô vel ſoluto, vel de eo ſolvendo cautione data, quae venditori idonea videtur; ante diem, merces venditoris periculo manent; poſt diem elapſum, ſi nulla tradendi fuerat in venditore mora, in depoſitarii loco erit venditor; ut & ab initio fuiſſet, ſi ab initio merces obtuliſſet paratas.

Emptioni venditioni plura adjici ſolent pacta aut leges; *addictio* ſcil. *in diem*, ubi pretii in diem differtur ſolutio; ante quem licet aut emptori, aut venditori, me-

liorem accipere conditionem: quae ſi non offeratur; validus erit contractus. Adjicitur etiam *lex commiſſoria*, ut ſi pretium non ante ſtatum diem ſolutum fuerit, pactum ſit irritum. Lex item *retractus*, ſive redemptionis, ſatis nota. Jus denique *protimeſios*, ut ſi emptor rem rurſum vendere voluerit, prior dominus pretium equale ſoluturus, caeteris emptoribus praeferatur. Quae res *auctione*, aut *ſub haſta* venduntur, plurimô licitanti cedunt.

Venduntur aliquando non res certae, aſt earum ſpes incertae. Quibus contractibus non deerit aequalitas, in omni contractu oneroſo conſervanda, ſi verum rei ipſius conſequendae pretium, ea ratione ſpei pretium ſuperet, quâ metus pretii fruſtra perituri, ſpem ſuperat rei conſequendae.

LOCATIO conductio eſt "contractus, "in quo pro certa mercede, rei noſtrae "uſus aut opera alteri addicitur." Locator rem uſui idoneam praeſtare tenetur & conſervare: conductor, ea uti, ut rebus ſimilibus & ſuis ſolent viri probi; & quicquid ſua culpa lata periit praeſtare. Ubi nulla conductoris culpa, res locata periit; non ulterius ſolvenda erit merces. Aut ſi caſu imminuatur uſus, eadem ratione imminuenda eſt merces. Ubi rei proventus eſt incertus; ut uberior, conductoris lucro, ita

malig-

malignior iſtius damno cedit: exceptis caſibus rarioribus & calamitoſis, quorum aleam conductor ſuſcepiſſe non eſt aeſtimandus; quales ſunt bella, diluvia, peſtilentiae.

Qui opus faciundum conduxit, traditâ ſibi re aliena, ad eam diligentiam tenetur, quam viri probi adhibere ſolent, & ad damnum lata culpa datum praeſtandum. Qui ad certum aliquod opus brevi peragendum, conductus eſt; mercedem exigere nequit, ſi quo caſu ab opere peragendo impediatur. Qui vero continuam alicujus operam conduxit, videtur breviorum morborum operas impedientium, quibus etiam robuſtiores obnoxii ſunt, pericula ſubire; ita ut nihil ea de cauſa penſioni detrahere poſſit.

VII. Mutuum eſt "contractus, ubi datur alicui res *fungibilis*, ea lege, ut tempore convento reddendae ſint aequales rerum ſimilium quantitates." Si non ſit gratuitum, danda etiam eſt uſura. Res maxime *fungibiles* ſunt nummi.

Quamvis enim nummi non ſunt per ſe frugiferi, neque aliae fere res fungibiles; nummis tamen emi poſſunt res frugiferae, eorumque ope in commerciis lucrum poteſt eſſe multo uberius: foenoris igitur aliquid, pro lucri hujus ratione, ob pecuniam mu-

tuo datam, exigere minimè eſt iniquum. Neque in civitatibus ubi vigent commercia, ſine gravi incommodo prohiberi poſſunt iſtiuſmodi pacta; licet in ruſticorum republica populari non ſint neceſſaria.

Foenoris aequi menſura major erit aut minor, prout minor eſt aut major nummorum qui in commerciis exercendis locantur copia. Quum major eſt, minus ex data quavis ſumma lucrum orietur; minus igitur debet eſſe foenus: ubi minor eſt pecuniae copia; ex data quavis ſumma majus orietur lucrum; majus igitur perſolvi poterit foenus. Horum omnium, in legibus civilibus foenus definientibus, ratio habenda; neque aliter vim poterunt obtinere.

In *ſocietatis* contractu, jura & obligationes ex ſociorum conventione & arithmeticorum regulis notiſſimis innoteſcunt.

VIII. Diximus contractus quibus aleae aliquid ineſt, non eſſe omnes inaequalitatis nomine damnandos. Immo iſtiuſmodi quidam ſunt omnino probandi, & hominum ſocietati utiliſſimi; praecipuè qui de naufragii, latrocinii, aut incendii periculis avertendis aut praeſtandis fiunt. Per hos enim ſtrenuis plurimis & gnavis ſalva conſervatur ſors, quae aliter periiſſet. Continent hi contractus publici, ſocietatis magnae, de damnis communicandis initae, vim humanam

humanam & ſalutarem: ex mercedibus enim, ab iis ſolutis quorum ſalvae ſunt merces, praeſtantur minus foelicium damna.

Neque reprehendendum, ſi plures, rem collatâ pecunia, animi cauſa, emptam, ſortium arbitrio permittant: ſi modo nemo tantam his periculis objecerit facultatum ſuarum partem, ut ejus jacturâ, ſibi aut ſuis, vitae praeſidia aut ornamenta praeripiantur.

Idem de ſponſionibus, & variis ludorum generibus ſtatuendum. Neque ſunt haec ideo vituperanda quod aleam contineant; neque ſunt omnia iniqua. Aſt primo, nihil viro bono & prudente eſt indignius, quam, nulla premente neceſſitate, res ſibi & ſuis neceſſarias aut utiles, incertae ſubjicere aleae; aut lucrum ſibi, ex aliorum temeritate, immeritò captare. Improbandi ſunt igitur iſtiuſmodi contractùs, niſi in rebus verſentur levioribus, quas locupletioribus animi cauſa projicere licet. Quin etiam, nihil a viro bono alienius quam ſe totum rebus ludicris dare, iiſve multum temporis impendere; aut ita nugis ſe aſſueſcere, ut ad ſeria minus habilis minuſve proclivis reddatur.

Quod attinet ad iſtiuſmodi contractus celebriores quibus alea ineſt, quibuſque plures res ſuas implicare ſolent; quum in communem

communem utilitatem nihil conferant, paucos tantum temerè ex plurium dispendiis locupletantes; quumque ad eos ineundos proclives admodum sint homines, pro opinione vana quam de sua foelicitate fovere solent: legibus civilibus omninò sunt coercendi; ne opes, quae, in opificiis aut mercatura occupatae, rei publicae prodessent, inutiliter ad haec parum honesta, & fraudibus innumeris obnoxia, convertantur; aut insociabilis, stolida, & ignava foveatur avaritia.

IX. Ad contractus firmandos accedunt *fidejussiones* & *pignora*. Fidejussor is est qui subsidiariam subit obligationem debiti praestandi, si ipse debitor solvere detrectaverit, aut non sit solvendo. Quumque creditor huic magis quam ipsi debitori saepe fidat; non minus sancta ipsius est obligatio. Neque ullae subterfugiendi artes fidejussori sunt licitae, quae non fuissent, si sua ipsius causa debitum contraxisset: neque recte quidem solutionem differt, nisi fraudulenta existat, inter creditorem & debitorem, contra se collusio.

Potest fidejussor vel pignore dato, vel jurejurando, firmius adstringi quam ipse debitor: ast prout est fidejussor, neque re, neque loco, tempore, aut causa, plus debere potest. Ordinis beneficium recte exigit fidejussor,

juſſor, ut prius nempe cum ipſo debitore lis diſcutiatur; & beneficium diviſionis, ubi plures fuere fidejuſſores; niſi hiſce renunciaverit.

Qui in cauſa *criminali* ſubſidiariam ſubeunt obligationem, *vades* dicuntur. Ad poenas vero corporales ſubeundas vix recte admittuntur, niſi ſceleris fuerant fautores. Jure tamen ad pecuniam, multae nomine, praeſtandam teneri poſſunt.

De pignore jam diximus quaedam & de hypotheca: ubi oppignorata eſt res fructuoſa, a mercede aut ſorte, deducendi ſunt fructus; neque juſta eſt in pignoribus lex commiſſoria, niſi quod ex pignoris diſtracti pretio ſupereſt, debito ſoluto debitori reddatur. Cuſtodiendum eſt pignus ea diligentia media, qua res ſuas cuſtodit bonus paterfamilias; quum utriuſque partis hac in re ſpectetur utilitas. A pignore differt *hypotheca*, quod haec, re non tradita, aſt debito ſolvendo ſubjecta, conſtituatur. In utroque eſt jus reale, cui cedunt & priora jura perſonalia.

CAPUT

CAPUT XIV.

De OBLIGATIONIBUS quaſi ex CONTRACTU ortis.

HAS praeter obligationes & jura, ſunt & alia, quae naſcuntur ex facto aliquo licito ejus adverſus quem valent. De iis quae ex facto illicito oriuntur, in capite ſequente agendum. Ex factis licitis ortum jus omne, fundatur vel in ipſo dominii jure, vel in manifeſta ſocietatis amicae conſervandae ratione. Quae iſtiuſmodi juri reſpondent obligationes, ne actionum multiplicentur formulae, eas ex contractu ortas fingunt jureconſulti. Sunt vero a pactis tacitis diverſi, quod in tacitis ex facto quodam conſenſus vere indicari intelligitur; in his vero, propter manifeſtam rei aequitatem fingitur. In illis, praemonitione contraria, praepaediri poteſt quae ex ſolo conſenſu oriretur obligatio; in his neutiquam; quippe in alia fundata cauſa aequiſſima.

Obligationum quae quaſi ex contractu oriuntur, duo ſunt genera; alterum earum quae hinc oriuntur, quod quiſpiam rebus alienis,

enis, aut alteri quocunque modo obligatis, sine contractu se immiscuit: alterum, quum quisquam aliquod sibi commodum, alteri nec donanti nec consentienti damnosum aut sumptuosum, derivavit. Ad priorem classem refertur ejus obligatio qui, sine vi aut dolo, rem possidet alienam, ut eam cum fructibus reddat. Refertur & ejus qui negotium utile gesserat; qui scil. res tractavit alterius vel absentis & nescii, vel ob rationis & prudentiae idoneae defectum, consentire non valentis: qui tenetur ad rationes, & res ipsas cum emolumentis reddendas. Quod spectatur in negotiorum gestorum & tutelae, *actionibus directis.*

Ad hanc etiam refertur classem haeredis testamento instituti obligatio, defuncti creditores & legatorios respiciens; quae nempe oritur ex haereditate adita. Omnia enim defuncti bona, aeri alieno dissolvendo, & omni quod a quovis, jure suo pleno postulari potest, praestando subjiciuntur. Qui haereditatem adit, unicam unde ea praestari possunt, materiam, ea omnia, quousque pertinere possunt bona haereditaria, deductis impensis in iis tractandis, praestare tenetur. Justum autem est *inventarii* beneficium. Neque ad haec jura explicanda, opus est haeredem fingere eandem esse cum defuncto personam.

II. Quod

II. Quod ad alteram attinet claſſem, ubi quicquam ſibi commodum, alteri nec donanti, nec gratis damnum perferre volenti, damnoſum, aliquis adſcivit: ad eam referuntur ejus obligationes, cujus abſentis & inſcii, aut, ob rationis & prudentiae neceſſariae defectum, conſentire non valentis, *negotia* ſunt *utiliter geſta*, aut res adminiſtratae, ad eum qui negotia geſſerat, aut tutorem, indemnem praeſtandum, & labores omnes utiles compenſandos, eorumque contractus, bona fide, ipſius nomine initos, confirmandos. Huc ſpectant negotiorum geſtorum & tutelae *actiones contrariae*. Impenſarum etiam, quae in pupillis alendis, educandis, aut arte quavis imbuendis, prudenter factae ſunt, eadem eſt ratio.

Quae quidem in liberis ſuis alendis erogarunt parentes non egeni, ex communi parentum affectu, donandi animo erogaſſe cenſentur, ubi contrariae voluntatis nulla fuit ſignificatio. Quin & tenentur parentes, pro ſua conditione, liberis neceſſaria praebere vitae praeſidia, & ornamenta; & quod ex bonis ſupereſt iis potiſſimum relinquere. Premente vero egeſtate, aut ſi cui forte ex liberis aliunde ſuppetant facultates, non iniquum foret parentem liberos ad calculos vocare, ut ſibi perſolvantur quae

erogaverit;

erogaverit; ſive ad ipſum in ſenectute alendum, ſive ut caeteros liberos eo melius alere poſſit.

Si quis verò alienum aluerit inopem, id gratis factum fuiſſe, non temerè eſt judicandum: aſt potius eo jus eſſe conſtitutum in alumnum, ut omnia in ſuam utilitatem prudenter erogata, ipſius laboribus compenſentur; haud vero ea quae ad familiae herilis ornatum pertinebant. Quumque inſuper, in prima alumnorum aetate, quaedam ſint erogata, quae perirent, ſi immaturi obirent alumni; amplius aliquid exigere poterunt altores, pro hujus periculi ratione; quo jure ipſis conceſſo haec humanitatis officia alacrius ſuſcipient. Decreſcit vero poſt primos alumni cujuſque annos hoc periculum, atque primas tantum impenſas graviore foenore onerare poteſt. Eſt igitur alumnus inops in cauſa debitoris, nullo ſuo crimine obaerati, a quo exigi ſaepe poſſunt operae, donec per eas diſſolvatur aes alienum; qui tamen omnia alia retinet hominum jura. Et quum primum vel laboribus ſuis, (quorum ſibi utiliſſimos & maxime quaeſtuoſos, ad viri probi arbitrium, ipſi eſt eligendi jus,) vel amicorum liberalitate, debitum fuerit ſolutum, tollitur omne altoris jus. Ratione vero ſubducta pateret, neminem eſſe alumnum, cui ſana eſt mens

S &

& corpus ſanum, quin ante annum trigeſimum, laboribus ſuis, omnia quae altori debuit, praeſtare poſſet: neque ex hac cauſa recte oriri poſſe ſervitutem haereditariam, quamvis altori pro periculi ratione, in modum foenoris nautici, amplius eſſet ſolvendum: quod tamen exigere haud ſineret humanitas, ab iis qui gravi aliqua premuntur neceſſitate; nulla autem gravior eſſe poteſt quam infantis inopis, omni parentum auxilio deſtituti.

Ad hanc etiam refertur claſſem ejus obligatio, qui favore neceſſitatis uſus, alteri damnum dedit; qua de re poſtea erit agendum: atque ejus qui indebitum accepit tanquam debitum; aut aliquid ex pacto quovis aut promiſſo, cui legitima opponi poterat exceptio; aut ob rem aut operam, a ſe praeſtandam, quam non praeſtitit.

Quum res plurium communis, unius opera aut impenſis eſt conſervata aut exculta; caeterorum erga hunc obligatio ad poſteriorem hanc claſſem, hujus erga caeteros, ad priorem eſt referenda.

Obligationes alium tenentes ab eo qui contraxerat, ſunt veri contractus, ubi alterius mandato aut juſſu res contractae ſunt. Sin ſecus, ſunt in cauſa negotiorum geſtorum.

CAPUT

CAPUT XV.

JURA ex DAMNO dato, atque ex aliorum INJURIIS orta. JURA BELLI.

EX iis quae ſaepius ſunt dicta conſtabit, teneri quemque damnum, alteri non conſentienti, a ſe datum praeſtare. Incidere poſſunt cauſae, in quibus vir optimus ea agere poſſit, & debeat, quae aliis damno erunt. Si aut res ſuae longe pretioſiores conſervari, aut mala graviora, ſibi ſuiſque imminentia, aliter averti nequeant, quam ea agendo quae aliis levia quaedam damna ſunt illatura. Suo forte jure ea aget vir bonus, ſuſcepto tamen hoc onere, damni omnis, ſui aut ſuorum cauſa, aliis dati, penſandi: quum & communis utilitatis, & juris aequi ratio hoc exigat, ne quis ob ſuam utilitatem aliorum immerentium imminuat utilitates; aut ſi quid iſtiuſmodi neceſſario factum fuerit, quum primum ſieri poteſt damnum reſarciatur.

Quod & de damno injuriâ magis eſt manifeſtum. Conſervari enim nequit hominum conjunctio & ſocietas, niſi neceſſaria

cuique foret damni abs ſe dati praeſtatio; quae igitur, per vim, recte exigetur. Fruſtra ferrentur leges, vim omnem vetantes & injurias, ſi tamen his violatis, lucrum injuſtum improbi obtinere poſſint.

Quin & ſocietatis humanae ſalus hoc exigit, ut malorum graviorum metu ab injuriis improbi coerceantur, ne perpetuam iis praedam & ludibrium ſe praebeant omnes probi. Quamvis igitur benevolentiam omnem, clementiam & manſuetudinem, etiam erga improbos, nobis commendet Deus & natura; majorem tamen innocuorum & proborum commendant curam & commiſerationem. Citra odia etiam & malevolentiam, improbi ab injuriis, per vim & poenas, coerceri, atque ab iis damni penſatio, cautioque ne in poſterum laedant, exigi poterit.

II. DAMNI nomine intelliguntur, non ſolum rerum noſtrarum direptiones, corruptiones, detentiones injuſtae; verum & fructuum ſive naturalium ſive civilium interceptiones; atque omnia etiam incommoda quae ex primo damno promanarunt; lucrum ſcil. omne ceſſans, non minus quam damnum emergens.

Qui vel per ſe, vel per alios, vel faciendo vel non faciendo, ſecus quam obligatione perfecta tenebatur, damno cauſam dedit,

dit, aut occasionem, citra quam non evenisset, is damnum intulisse censetur. Qui malis laetantur alienis, qui injurias laudant, aut ad eas hortantur, improbum quidem produnt animum. Quum tamen citra ea, saepe eaedem illatae fuissent injuriae; ea, ut ut poenis coercenda sunt, rarò tamen homines, per se, damno praestando obnoxios reddunt. Ubi plures communi consilio, injuriam intulerunt; singuli pro omnibus, & omnes pro singulis, ad damnum compensandum tenentur. Ubi vero unus aliquis totum compensaverit; nihil amplius eo nomine laesus a caeteris exigere potest. Is tamen, qui totum compensavit, recte divisionis, contra socios, postulabit beneficium. Poenarum causa est diversa. Inter damni auctores praecipuus habetur qui caeteros imperio adegerat. Hic igitur, ubi fieri potest, primo est appellandus; ubi non potest, a patratoribus rectè exigitur damni praestatio: quandoquidem nullam hic ab ea obligatione immunitatem, iis dare poterat. Et quantumvis patratores, ad graviora, quae ipsis imminebant, mala declinanda, damna aliis dederant tantummodò leviora, necessitatis favore ab omni vitio excusandi; non tamen cessabit damni sarciendi obligatio; quum non teneantur vicini immerentes, mala illis imminentia, suo damno redimere.

 III. QUI

III. QUI citra culpam, damnum casu dedit fortuito; ad id sarciendum non pleno tenetur jure. Immo ex officio, communis utilitatis causa honeste suscepto, praecipue in rebus trepidis, ubi difficile est satis cavere, quamvis viri strenui incuriâ leviore, damnum acceptum sit, id publicè sarciendum.

Damna data a mercenariis, sine heri mandato, ipsos solos onerant. A mancipiis data, dominum obligant, ad mancipium ea lege distrahendum, qua hominis obaerati facultates; quae cum omni aeri alieno solvendo non sufficiunt, inter creditores pro rata dividendae sunt. Hinc, mancipii pretium, quod domini jus est; & illinc, damnum datum est aestimandum, quod laesi jus est; & pro eorum ratione, mancipii pretium est dividendum, aut pensatio a domino praestanda. Quod & de *pauperie* a quadrupede facta, tenendum. Si quid aliter in laesorum gratiam determinarunt leges * civiles, hoc secutae sunt, ut domini, in servis suis & animalibus coercendis, fiant diligentiores.

Qui sine dolo damnum dedit, se paratum ostendere tenetur ad ea danda facienda, quae viro probo videbuntur aequa; & sponte laeso testari dolum a se absuisse, & nocendi

* Exod. 21. 28, 30. Institut. IV. t. 8. 9.

nocendi animum. Quem damni malo animo dati vere poenitet, hic damnum ultro ſarcire, & veniam petere debet, & cautionem offerre, ad viri probi arbitrium, de non in poſterum laedendo. Injuriae enim neminem verè poenitet, immo in ea perſtat, qui non ad haec praeſtanda paratus eſt, aut qui lucrum injuria partum detinet. His autem oblatis, laeſus veniam petenti dare, & in gratiam cum eo redire tenetur. Quod eo alacrius praeſtandum, quod ſaepius ſibi quiſque, ſi non hominum vicinorum, Dei ſaltem opt. max. clementia eget & venia.

IV. QUUM vero animo obſtinato vicinus injuriam intentat, neque monitus a propoſito dimoveri poteſt; aut damnum injuriâ a ſe datum ſarcire negat; aut denique quae jure noſtro poſtulamus, praeſtare pertinaciter renuit: exigit non ſolum noſtra, verum & omnium communis utilitas & ſalus, ut per vim depellatur injuria intentata; damnique penſatio, & quicquid nobis debetur, extorqueatur; eaque etiam improbo irrogentur mala, quorum terrore & ipſe in poſterum, & caeteri, ad injurias tardiores reddantur.

Haec juris violenta defenſio aut vindicatio, eſt *bellum*: quod " ſtatus eſt per vim " certantium juris tuendi causâ." Quum autem

autem in civitatibus conſtituendis praecipuè ſpectatum fuit, quod omnibus notum, ut civium lites ab arbitris aequis dirimantur, & praecaveantur mala ab hominum infenſorum iracundia metuenda; apparebit, longe aliter juris noſtri defenſionem & vindicationem, in vita civili, ac in libertate naturali eſſe inſtituendam.

Bella ſunt vel *publica* vel *privata*. Publica, quae a civitate aut populo ſuſcipiuntur: privata, quae a privatis. Publica ſunt vel *ſolemnia*, vel *minus ſolemnia*. Solemnia (quae & *juſta* vocant Romani, qualicunque de cauſa, niſi planè nefaria ſuſcepta fuerint,) "quae populi nomine, eorumque juſſu qui ſummo ſunt in imperio, utrinque, ſub aliqua juris ſpecie geruntur." Publica quae minus ſolemnia, ab altera tantum parte, aut populi, aut rectorum juſſu geruntur. Qualia praedonibus, aut civibus ſeditioſis & turbulentis inferuntur; vel quae *civilia* dicuntur, ubi de populi, aut de regni jure aliquo, inter diverſas civium factiones decertatur.

De ſingulorum in libertate degentium privatis bellis nunc dicendum: quae tamen de his ſtatuuntur, ſimili de cauſa, tenent in bellis publicis, quum in pari libertatis ſtatu, inter ſe conſtituantur diverſae civitates, earumque rectores ſummi.

V. Bel-

V. BELLA & publica & privata nonnunquam esse licita, immo communi saluti saepe necessaria, ex dictis satis constat: neque omnia prohibent sacrae literae; quippe quae imperii civilis jura confirmant, magistratibus *jus gladii* tribuunt, & bellatores quosdam egregios laudant.

In utroque belli genere, tria spectanda; *causae justae*; belli dein *inchoandi tempus*, & petendi *fines*; (quae terminus a quo, & terminus ad quem, dicuntur:) quae omnia, ubi de singulorum bellis agitur, variè definienda, prout bellantes, vel in vita degunt civili, vel in libertate naturali.

Ante omnia monendum: injuriâ quamvis atroci, ab altero nobis illatâ, nihilo tamen minus, adversus eundem colendam benevolentiam: quinetiam ejusdem foelicitas expetenda est, quoad patitur hominum meliorum, omniumque communis utilitas. Quam haec patitur clementiam, erga vel pessimos, boni cujusque sensus comprobabit. Intentatâ igitur, aut illatâ injuriâ, ad eam avertendam, damnive pensationem, cautionemque in posterum consequendam, cuncta leniora prius tentanda. Neque omne jus suum amittit hostis quamvis injustus; neque contra eum datur licentia infinita: ast ea sola, quae vel injuriae repellendae, damno sarciendo, vel melioribus in poste-

rum

rum protegendis est necessaria. Quae horum nulli commodè inservit saevitia, turpis est & detestanda.

VI. Causa in libertate naturali justa, est juris perfecti quaevis violatio. Nullum enim erit jus tutum, nulla vitae securitas, nisi contra injurias inferentem ad vim confugere liceat, ne quis injurias a se illatas impunè ferat. Levioribus injuriis nobis saepius illatis maximae collabentur opes: neque innocuis tolerabilis foret vitae conditio, improborum petulantiae inultae semper obnoxia. Injurias leviores ferendas suadebit humanitas, si modo damna reparari possint, & a viris caetera probis, per brevem iram, cujus mox eos poenitebit, inferantur: hanc tamen patientiam, ab altero nemo suo jure postulare poterit. Quae rariores & insolitae sunt bellorum causae haud improbandae, nondum illatâ aut intentatâ injuriâ, * aliàs docebitur.

Ubi igitur violatum est jus, sive rebus nostris ereptis aut laesis, sive quae nostro petimus jure denegatis; aut ubi vicino cuivis par fit injuria; licet, immo saepe honestum est, eos quoscunque, qui juri nostro, aut vicini cujusvis, tuendo aut vindicando se opponunt, per vim cogere, ut ab injuriis desistant, nobisque & vicinis quae debentur

* Vid. Lib. III. 9. 2.

debentur, praeſtent. Res *in ſpecie* debitas per vim occupare licet: aut ſi harum non ſit copia, res quaslibet hoſtiles, quae iis omnibus quae debentur praeſtandis ſufficient. In jure noſtro aeſtimando, labores omnes & damna, quibus cauſam dederat injuria hoſtilis, ſunt computanda. Immo poenae nomine, aut cautionis de non laedendo, res hoſtiles jure occupantur, quantum arbitro prudenti neceſſarium videbitur.

In ſtatu quidem civili ea injuria ſola, a cive, qui in jus vocari poteſt, intentata, vi privata recte propulſatur, quae damnum minitatur irreparabile. Aliarum depulſionem, damnique penſationem, tutius magiſtratui permittimus. Quae nullo ejuſdem auxilio praecaveri poſſunt aut reparari, illas vi omni neceſſaria aut commoda jure propulſamus. Si quis etiam jure civis, civilem exuerit conditionem, aut ita occultè injurias inferat, ut vix in jus vocari poſſit; contra eum † vigent omnia, quae in libertate, jura: quales ſunt praedones fureſque nocturni. Contra alios cives, juris vindicatio judicibus permittenda.

VII. *Terminus a quo* inchoanda eſt juris violenta defenſio aut vindicatio, eſt, ubi alter vel denuntiatione, vel actione hoſtili, aliove indicio certo, noſmet ipſos, alı-umve

† Exod. 22. 2, 3. Leg. 12. Tab.

umve innocuum, laedendi consilium declaraverit, nec monitus desistat. Neque enim primus ictus est excipiendus; quippe qui lethalis esse potest: neque expectandum donec inferatur injuria, quae forté reparari nequiret; cujusve illatae pensationem infoelicius exegeris, quam nondum illatam propuleris. Injurias igitur tardius molientem maturè opprimere licebit.

In statu civili, vim cum graviore aliorum periculo conjunctam, haud recte prius adhibemus, quam aggressor nos ad eas redegerit angustias, ut neque sine periculo fugere liceat, neque a civibus, aut magistratibus, auxilii sit copia.

VIII. Terminus sive finis, ultra quem in statu libero non recte producitur bellum, hic est, quum aggressor, aut injuriae auctor, vel poenitentia ultro permotus, vel vi coactus, a laedendo abstinuerit, omnisque damni a se dati pensationem, cautionemque in posterum, ad viri probi arbitrium, obtulerit. Haec si pertinaciter detrectaverit, per vim jure extorquentur. Quin & humani generis interest, ut ei qui atrocius, sine ulla juris specie deliquerit, aliisque, exemplo suo, injuriarum & scelerum auctor fuerit, ejusmodi supplicia irrogentur, quibus non solum ipse, sed & alii omnes ab ejusmodi delictis deterreantur.

Quae causae ostendunt poenas in vita civili jure irrogari, eaedem omnes statui libero conveniunt: quamvis in eo neque adeo facilè irrogari, aut prudenter temperari possint. Neque vel poenarum causae, ejusve expetendi rationes, imperium civile exigunt in eo qui irrogat, neque ut is qui punitur, imperio sit subditus.

In statu civili, periculo praesente depulso, non producendum est bellum. Damni enim pensatio, omnisque in posterum cautio, in judiciis, non hominum infensorum vi, est exigenda. Omnis quae jure adhibetur vis, vel jus nostrum tuendum, aut utilitatem aliquam communem, spectare debet. Quae horum neutrum spectat, quaeque cum odio & malevolentia est conjuncta, ea est *vindicta*, quae & lege naturali damnatur & Christiana.

Quum porro jura nostra, non solum rem aliquam habendam, quam recte vi defendimus, verum & quaedam ab aliis consequenda spectent; in libertate, quae ab aliis jure sed frustra flagitavimus, per vim vindicare aut prosequi licet. In vita civili ea vindicatio omnis, actione intentata, sive de debito, sive de damno, etiam infecto, magistratuum prudentiae & judiciis est permittenda. De jure nostro in statu libero pro-

ſequendo, de belli cauſis agentes ſatis diximus.

IX. Ex dictis patet, condicta privatorum certamina, quae nunc *duella* vocantur, ubi provocans & provocatus ſe ultro in loco ſiſtunt condicto, extrema omnia invicem inferri parati, nulla juris ſpecie, vel inter homines liberos, vel cives, defendi poſſe. Juris noſtri defendendi aut proſequendi modum longe commodiorem, oſtendet recta ratio; ut nempè vel arbitris, compromiſſo conſtitutis, permittatur litem dirimere; vel ubi hoc alter detrectaverit, ut cum eorum auxiliis, quos nobis cauſae noſtrae aequitas, aut rei communis cura, ſocios adjunxerit, bello aperto jus noſtrum proſequamur. Quod ad opprobria attinet & calumnias; eas per duellum refellere, & ineptiſſimum eſt, & ſaepe ſaeviſſimum. Quum caeca omnino ſit martis hujuſmodi alea; & poena ſaepe major quam delictum. Si quis alterius famam falſis laeſerit criminibus, aut etiam arcana ejus vitia inhumaniter divulgando, nullo hoc exigente officio; in ſtatu libero, quo dignus eſt ſupplicium, ad viri prudentis arbitrium, ei eſt irrogandum; qua in re ab humanioribus vicinis auxilia petenda. Si quis in eo ſtatu, nullâ injuria laceſſitus, animum erga nos declaraverit hoſtilem, is quidem tutiſſima

ſima ratione improviſò eſt opprimendus; aut, quantum exigit noſtra aliorumque incolumitas, poenis coercendus. Neque vel in vita civili, ſi hoſtilem civis contra me oſtendat animum; hominum fugere congreſſus, aut omiſſis officiis, quae ſunt foris peragenda, intra aedes me continere teneor, niſi quatenus humanitas, aut ſalutis meae cura, aliter moneat. Atque ſi quis in me verſantem in rebus licitis, injuſte impetum fecerit; recte me cum iſtius caede defendero. Immo procaces iſtiuſmodi & petulantes occidere, officium eſt hominum vitae amiciſſimum. Haec omnia ſine condicto certamine fieri poſſunt.

Sin autem tanta rectores civitatum ceperit, rei maximae incuria, ut ad civium famam, contra opprobria aut falſa crimina, defendendam, nullae ſint idoneae leges, nulla judicia; atque ſi invaluerit mos, a barbaris & ſuperſtitioſis deductus ſeculis, ut infamis, noviſque ſemper injuriis dignus habeatur, iiſque ſit obnoxius, qui, propter opprobria quaedam accepta, auctorem ad certamen condictum non provocaverit, aut ab altero, qui ſe laeſum putat, provocatus, certamen detrectaverit: Certaminum ejuſmodi crimen, in civitatis rectores praecipuè eſt conferendum; quamvis non prorſus immunes ſunt ipſi qui decertant; is

praecipuè qui alterum provocavit. Alia enim plerumque ratione vir bonus famam tueri, & fortitudinem ostendere poterit, ubi scil. alter ipsum per vim aggressus fuerit.

Unica forte de causa * justum esse potest, ab altera saltem parte, certamen sponte susceptum; ubi hostis publicus potentior, προμάχου cujusdam virtute fidens, foedus de pace aequis conditionibus reducenda, ea solum lege, nobiscum inire velit, si hic a nostrae gentis προμάχῳ in certamine victus fuerit. Res quidem graviores, quae solae bellorum justae sunt causae, duelli istiusmodi aleae committere dirimendas, saevum est & stolidum: quippe quae per arbitros melius dirimi poterant. Si vero hostis potentior in istiusmodi praelii eventum controversiam conjicere velit, neque eam leniore ratione dirimere, maxime est laudandus, qui ad majorem innocentium stragem praecavendam, patriam suo periculo defendere, ea ratione conatur, quae spem ostendit maxime probabilem.

* Grot. de J. B. III. 20. 43.

CAPUT

CAPUT XVI.

De JURE EXTRAORDINARIO ex NECESSITATE orto: & de omnium JURE communi.

OFFICIA plerumque ſenſu proximè cuique monſtrari & commendari, ſaepius jam dictum: inter varias tamen honeſti ſpecies, naturalem eſſe ordinem; aliaſque, quamvis per ſe pulchras, aliis pulchrioribus, & ad communem utilitatem momentum majus afferentibus, in contentione cedere: praecipuamque honeſti venuſtatem, in iis animi affectionibus & conſiliis, quae maximae omnium utilitati inſerviunt elucere. Hinc efficitur, omnia privatorum jura, omneſque leges ſpeciales, majori plurium utilitati, aut omnium communi, poſthabendas. Quamvis igitur rationis dictata, leges ſpeciales appellatae, quaſque libero quovis tempore migrare turpiſſimum, officia viro bono plerumque digna jubeant; tempore tamen mutato, nonnunquam commutatur officium; caſuſque quidam rariores, in ipſis legibus excepti intelliguntur.

 Non

Non igitur premente neceſſitate, violandae leges naturales, aut iniqua & improba facienda. Immo qui exceptione utitur legitima, ſibique conceſſa, aut legi paret ſanctiori, quae minus ſanctae aliquid derogat, ipſi legi paret. Legum autem ſocialium ea ſanctiſſima, quae ſingulorum, aut pauciorum ſaluti & utilitati, omnium communem anteponit.

II. QUUM vero hominis cujuſque probi ſenſus, legum ſpecialium vim & majeſtatem conſervandam moneat; ab iis levi de cauſa minimè diſcedendum: neque levis eſt neceſſitas quae iis quicquam derogare debet. Non ſolum igitur, quae incommoda ex iis ſervatis continuò ſequerentur, quaeque commoda praeſentia ab iiſdem deflectere ſuadent, cautiſſimè circumſpiciendum; verum praecipuè, quaenam incommoda graviora, ex ea licentia, in cauſis ſimilibus, omnibus permiſſa, forent in poſterum metuenda. Ponamus, exempli gratia, aliquid quod latius pateat; quum tanta ſit fidei & veritatis, ſive in ſermone, ſive in commerciis rebuſque contractis, religioſè obſervatae utilitas; & tanta pariter, ex conſervato dominii jure, liberâque rerum ſuarum poſſeſſione & adminiſtratione, cuique permiſsâ, oriatur vitae ſecuritas & mutua fiducia; oportet graviſſimae ſint cau-

ſae,

ſae, ingentia mala avertenda, aut bona conſequenda, quae juſtitiae regulis hiſce quicquam derogabunt. Neque ad cauſas leviores extendi debet neceſſitatis favor: proſpicienda graviora longè incommoda, quamvis remota, quae ex earum legum auctoritate, de cauſa quavis leviore, imminuta, ſunt tandem naſcitura. Excipiendi igitur caſus tantùm graviſſimi, ubi mala his omnibus graviora ſunt avertenda; quibus caſibus, qui leviores & magis conſuetos annumeraret, improbus planè eſt & ſceleratus.

Fruſtra dixeris, nullius utilitatis cauſa facienda turpia & inhoneſta. Nemo negat. Sed quaerimus, num caſu quodam rariore, haec turpia ſint & inhoneſta? non, an propter utilitatem deſerenda ſit honeſtas? Aſt, num magnam utilitatem honeſtas nonnunquam ſequatur? Neque magis attinet dicere, legi divinae ſemper adherendum: caetera, eventus nempe, caſuſque futuros, judicii noſtri non eſſe, eaque Deo permittenda. Haec, quidam minime mali, aſt non ſatis acuti. Quaerimus enim, an in ipſa Dei lege hi caſus excipiantur? & numnam exceptiones, eadem ratione, qua ipſae leges innoteſcant? Si noſtri judicii non ſint rerum eventùs; neque ſunt ipſae leges; quippe quas, rerum eventus vitae hominum

num amicos aut inimicos prospiciendo, indagamus. Primos enim animi impetus quosque, non esse solos vitae duces, inter omnes constat.

Hoc necessitatis obtentu, fortè abutentur homines improbi, utilitati inhiantes, aut voluptatibus unicè dediti. Non tamen sine ea morum pravitate & nequitia, quae nulla legum religione contineri posset. Homines itidem iracundi, ultionisque cupidiores, omni de violenta sui defensione doctrina abutentur. Non tamen idcirco vituperanda est omnis violenta sui defensio; neque magis vituperanda, omnis a legum normâ declinatio. Temporibus saepius cedunt dominii privati jura: re aliena, domino inconsulto, aut invito, uti licet, vel abuti, quum id exigit plurium conservatio; ut in jacturis faciendis, aedibusque incendii sistendi causa diruendis. Temporibus etiam nonnunquam cedunt jura sanctiora. civibus fortissimis rectè imperatur, ut ad patriam tutandam, certae morti se objiciant. Ponte dejecto, aut portâ clausa, quibus plerumque defendendi sunt omnes cives, hosti vel saevissimo objiciuntur cives hectoridae. Splendido reique Romanae salutari mendacio nobilis est rex Hostilius. Ast plurimas habet lubrica haec doctrina cautiones.

III. In

III. IN legibus duabus primariis de Deo colendo, & communi omnium utilitate promovenda, nullae ſunt exceptiones. Immo quae in legibus ſpecialibus valent exceptiones, in hac altera generali fundantur. Dei autem cultus externus, nulli certo tempori neceſſariò alligatur.

2. Quo honeſtius eſt cujuſque ingenium, eo minus ad exceptiones in leviore quavis cauſa admittendas, aut neceſſitatis privilegia ſibi arroganda, erit proclivis.

3. Omnium quae ex juris hujuſmodi inſoliti uſu, ſive conſecutione naturali, ſive ex hominum pravitate & temeritate naſcuntur, ratio habenda. Non quod hominibus deneganda ſint omnia jura, quorum ſpecie fallaci abutentur improbi. Verum haec ipſa mala, ab hominum improbitate metuenda, ad calculos ſunt vocanda: cauſiſque tantum graviſſimis exceptiones dandae; quibus in rebus levioribus abutetur nemo, niſi ea ſit pravitate & nequitia, ut legem quamvis notiſſimam violaturus eſſet.

4. Quo ſanctior, vitaeque hominum utilior eſt lex, eo graviores oportet eſſe cauſas, ob quas danda exceptio.

5. Cauſae quae ex aliorum utilitate, aut omnium, petuntur, iis quas quiſquam ex ſua aut ſuorum utilitate petit, longe ſunt honeſtiores. De ſua utilitate ſuoque jure aliquid

aliquid remittere, viro bono ſaèpe licet, ſaepe honeſtum eſt: communem vero utilitatem deſerere non licet. "Temporibus "igitur prudenter parendum."

6. Nulla neceſſitas tanta eſt, ut cuivis, mala ſibi imminentia, in alios immeritos conjicere, iiſve avertendis, alios paribus aut gravioribus malis implicare liceat. Huic enim adverſatur utilitas communis.

7. Quaecunque damna, ad mala graviora a nobis noſtriſque avertenda, aliis non conſentientibus damus, ea omnia praeſtare ſanctiſſimè tenemur. Juri huic in libertate, extra ordinem, ſingulis competenti, reſpondet in vita civili, *imperii jus eminens*; de quo aliàs.

IV. Ex communi hominum cognatione & caritate, jura qaaedam communia naſcuntur, quae non unius aut paucorum, ſed omnium communi utilitati proſpiciunt: haec igitur, occaſione datâ, cuique tuenda ſunt & proſequenda. Juris publici explicationi, horum explicatio ideo praemittenda, quod haec in libertate, ante civitates conſtitutas, vigeant. Eorum pauca ponemus exempla quae latius pateant.

1. Cuique, occaſione oblata, totique humano generi, jus eſt prohibendi ne quiſquam, ſine juſta cauſa e vita excedens, officia, humano generi, ejuſve parti cuivis, debita

debita defugiat. Prohibendum item, ne quis ſe ipſe interimat; aut corpus mutilando, vitae muneribus ineptum reddat.

2. Jus eſt, perniciofos peſſimique exempli mores prohibendi, quamvis nemo quiſquam, prae aliis, iis laedatur. Coercenda venus naturae repugnans & nefanda: partuum etiam abactiones, arteſque omnes humano generi inimicae.

3. Impediendum ne quis res ſuas, quae vitae hominum plurimum prodeſſe poſſunt, maligno perdat animo, aut inutiles perire ſinat.

4. Omnibus & ſingulis jus eſt, injuriam alii cuivis inferendam propulſandi, illatamque vindicandi: poenas item in eos qui injuriam intentarunt irrogandi, quarum terrore iſti, caeterique omnes, ad injurias tardiores reddantur.

5. Humano generi jus eſt prohibendi, ne qui arcanum aliquod hominibus ſalutare invenerit, ejus notitiam ſecum interire ſinat; eumque cogendi, ut aequis legibus id cum aliis communicet; cunctiſque, quibus ſit opus, ejuſdem uſum impertiat.

6. Hoc etiam abs quovis hominum, cui vires ſuppetunt, jure exigit humanum genus, niſi ipſi ſuppetat etiam rerum copia, ne ſe ignaviae dedat, liberalium & munificorum eleemoſynam, iis qui ſe alere nequeunt,

queunt, in ſuos uſus iniquè praerepturus. Ad victum & amictum, arte aliqua licita aut laboribus, parandum, iſtiuſmodi fuci cogendi.

Perfecta videntur haec jura, quae, humano generi tanquam populo aut *univerſitati* competunt. Alia ſunt imperfecta; quibus quae reſpondent officia, pudori cujuſque & honeſtati permittenda; quae ſatis intelligi poterunt, ex iis quae de virtutibus diximus.

CAPUT XVII.

De JURIS ABOLITIONE ſive interitu. De LITIBUS in LIBERTATE dirimendis, & INTERPRETATIONE.

TRIBUS modis tolluntur obligationes: *ſolutione* illius quod debebatur; *ceſſione* in debitoris gratiam, idque vel gratis, vel ex cauſa oneroſa; & *conditionis defectu*.

Rectè ſolvit vel ipſe debitor, vel alius quilibet ipſius mandato, ipſiuſve nomine, ita ut ipſius manifeſtè interſit: dummodo loco & tempore conſtituto fiat. Ubi debitoris non intereſt; alteri cuiquam, fortè in humano

humano, ſolvere volenti, actionem ſuam adverſus debitorem, creditor cedere neutiquam tenetur. Haec obtinent ubi vel res certa, vel pecunia numeranda, vel opera quaevis vulgaris debebatur: quippe in quibus creditoris haud intereſt quis ſolvat. In iis autem, quae honoris cauſa praeſtantur operis, aut in quibus ingenii ſpectatur elegantia, ſecus ſe res habet.

In rebus item *fungibilibus*, iiſve quarum pretia ad certam rei iſtiuſmodi menſuram rediguntur, ſi modo ſolutionis dies adeſt aut praeteriit, *compenſatio* admittenda, ubi ad aequalem ſummam duo ſibi mutuo creditores ſunt.

2. Ad ceſſiones pertinent *tranſactiones* omnes, & obligationes quibus lites tolluntur: *delegationes* item, ubi vice ſua debitor alium dat reum creditori conſentienti, aut cui is juſſerit: *Condonationes* etiam expreſſae vel tacitae; *acceptilationes* itidem; *diſſenſuſ*que mutuus.

3. Ob conditionis defectum, tollitur obligatio alterius partis perfidia; ſi modo pactum irritum fieri mallet altera, quam perfidum cogere ut promiſſis maneat. *Mutato* item *ſtatu*, quae in eo fundata erat obligatio tollitur. Tempore dein elapſo, diſſolvuntur obligationes ad certum temporis terminum conſtitutae. *Morte* denique ſolvuntur

vuntur obligationes quae, certos quosdam homines aut personas respicientes, neque ad haeredes erant transmittendae, neque adversus haeredes valiturae. De quibus omnibus ex rei natura, aut ipso contractu facilè constabit.

II. In libertate lites amica litigantium disceptatione optime dirimuntur; amicorum deinde communium, aut vicinorum officiis; puro denique sive absoluto compromisso, quo res viri probati arbitrio permittitur. Idve vel secundum partium jura perfecta; vel ex aequo & bono, *ut inter bonos benè agier.* Hac posteriore via, vir bonus suas cum vicinis contraversias dirimi volet.

Viri cordati, nulla necessitudine arctiore, contendentium alterutri devincti, quibusque nihil lucri accessurum est, quoquo modo lis dirimatur, arbitri eligendi. Qui, quum nulla ipsorum utilitate, neque gratia aut odio, ab aequo & bono abripiantur, quamvis ipsis contendentibus neque prudentiores sint neque aequiores, facilius tamen quae vera & aequa perspicere poterunt. Eorum arbitrio litigantibus standum, nisi doli comperta sint indicia; pactum fortè aliquod de lite in alterutrius gratiam dirimenda; aut adeo manifesta arbitrii iniquitas, ut dolum plane prodat. Qualis arbitrii

bitrii Romani inter *Nolanos* & *Neapolitanos.* Levior enim iniquitas quaeque, probabili juris ſpecie ſuffulta, compromiſſi obligationem neutiquam ſolvit.

Quod ſi arbitri neque ex partium confeſſione, ſyngraphis, aliiſve iſtiuſmodi documentis, verum eruere valeant; citandi teſtes, & jurisjurandi religione adſtringendi. De teſtibus primo videndum *Caſſianum* illud, *cui bono;* & duo minimùm exigendi. Quamvis enim pro teſtium numero non augeatur fides, uniuſque probi & ſpectati multum valeat teſtimonium; unus tamen, modo malitioſus, verſutus, animique fidens, narrationem falſam ita callidè contexere poteſt, ut nulla judicis arbitrive ſolertia adduci poſſit, ut ſecum diſcrepet, dolumque prodat. Duo vero aut plures, de omnibus rei judicandae adjunctis, quae neminem qui interfuit latere poterant, (qualium ingens judici ſolertiori occuret numerus,) ſeorſim interrogati, ſi vel omnia contraria ſaepe teſtentur, vel eadem omnia aut recordari, aut obliviſci, prae ſe ferant, manifeſta dabunt fraudis fallaciaeque indicia.

III. In vera promiſſorum, contractuum, teſtamentorum, legumque ſcriptarum ſententia eruenda, interpretandi regulis opus eſt, ex arte grammatica, aut critica depromendis.

Imprimis monendum; qui paciſcentis ſpeciem prae ſe ferens, ea dedit ſigna, quae dare ſolent qui quicquam promittunt, eum ad id praeſtandum teneri, quamvis alia ſecretò ſecum tunc temporis agitantem. Neque aliter ulla eſſet commerciorum fides.

2. Verborum popularium & uſitatorum ea eſt ſignificatio quam uſus confirmat, omiſſis cauſis, aut vocum originibus; niſi adſint inſuetae acceptionis indicia.

3. Artium vocabula & nomina ſignata, ex peritorum definitionibus interpretanda.

4. Ubi orationis, aut ſcripti ejuſdem, partes diverſae ſibi invicem lucem praeferre poſſunt, obſcuriora per magis perſpicua ſunt explicanda.

5. Ubi abſurdi aliquid aut ſecum pugnans continerent verba, ſenſu ſimplici & figurâ nudato; quod tamen tolleretur, ſi figurata haberentur: figurata omnino habenda.

6. In ſcripto iſtiuſmodi, cujus partes priores nullum jus transferunt, in illum qui non & poſterioribus conſenſerit, "poſteri-"ora prioribus derogant:" quod in teſtamentis, pactiſque, quae cum eodem contrahuntur, obtinet.

7. Ex *materia*, *adjunctis*, *effectibus*, & *conſequentibus*, ad veram verborum ſententiam dijudicandam criteria promuntur. Verus

rus enim eſt ſenſus qui cum materia, & adjunctis convenit, quique nihil abſurdi ſecum trahit.

8. Ex paciſcentium fine aut ſcopo cognito, atque ex legum ratione unicâ aut integrâ, optima petuntur, ad pacta legeſque interpretandas, criteria.

9. Perinde etiam ut eſt materia *favorabilis* aut *odioſa*, porrigitur vel coarctatur verborum interpretatio.

IV. Ubi vero contendentium alter, aut uterque, ſuis fretus viribus, aut adverſarii apud vicinos gratiam, aut aſtutiam metuens malitioſam, litem arbitris dirimendam permittere recuſat; non aliud reſtat perfugium, quam ut jura ſua quiſque per vim tueatur aut proſequatur. Unde crebra in libertatis ſtatu oriri bella neceſſe eſt, cum magno vicinorum incommodo & periculo ſaepe conjuncta. Quae ut praecaverentur mala, utque hominum coetus ſub prudentiorum imperio, ad lites dirimendas, & exterorum vim ingruentem efficacius repellendam conjungerentur, credibile eſt homines ad civitates & imperia civilia conſtituenda confugiſſe.

PHILOSOPHIÆ MORALIS

LIBER III.

OECONOMICES & POLITICES

ELEMENTA.

CAPUT I.

De CONJUGIO.

STATUS liberi, ab ipſa natura conſtituti, obligationes & jura, ſunt in ſuperiore libro explicata: ad ſtatus adventitios, hominum facto aliquo aut contractu conſtitutos, nunc progredimur.

Status hi ſunt vel *domeſtici*, qui paucorum, unius nempe familiae, reſpiciunt utilitatem; vel *publici*, qui multorum utilitati inſerviunt, civium nempe omnium in republica, aut plurium etiam civitatum.

De

De ſtatu omni & neceſſitudine domeſtica agit ars *Oeconomica;* cujus elementa, tribus percurremus capitibus. Sunt & alii quidam ſtatus adventitii, eorum nempe qui ad arctiorem aliquam communitatem, in *univerſitate*, civili imperio ſubjecta, ſunt conſociati; quorum genera ſunt infinita, neque in philoſophia explicanda.

II. UNIUS tantum aetatis eſſent omnia animantium terreſtrium genera, niſi hoc machinata fuiſſet natura, ut in omni genere mares forent & foeminae, procreandi vi & appetitu inſtructi, & praecipua quadam in procreatos cura, in eum finem donec ſe ipſi conſervare poſſint. Mutis quidem animalibus conſervandis nihil amplius machinata eſt natura; quippe quae, brevi & facili matrum cura, conſervari poſſunt & educari, neque ulla ad vivendum arte indigent; quum ab ipſa natura veſtiantur, quaedam etiam armentur; paſtumque iis copiosè, qui cuique aptiſſimus eſt, ſponte ſubmittat ipſa terra. Hominum autem vitae conſervandae & excolendae, artes exiguntur plurimae & inventa. Delicatiora enim ſunt hominibus corpora, exquiſitiore victu & cultu tuenda; animique artium jucundiſſimarum capaces. Provido igitur naturae conſilio, diu manet eorum ſoboles tenera & invalida, adultorum ſedulâ egens

&

& continuâ curâ; ut eo facilius ab adultis regatur, atque prius, artibus variis, & diſciplinis, ad vitam commode degendam inſervientibus, imbuatur, quam intractabiles adipiſcatur vires.

Gravi huic & neceſſario muneri explendo, quod per ςοργην inſitam, utrique parenti natura impoſuit, quum impares ſint matres; utriuſque labores, & curae diuturnae exiguntur; quae tolerabiles non erunt, niſi parentibus mutuo amore & ſtabili amicitia conjunctis; quum & nova ſubinde iis naſcitura erit ſoboles, eadem curâ, per magnam vitae partem prorogatâ, conſervanda. Muneri huic pergravi alacrius procurando & obeundo, maribus & foeminis miros inſeruit natura amores; quos magis accendit virtutum in moribus, atque ipſa forma, ſignificatio, quam illa caeca, & cum mutis animalibus communis, corporum miſcendorum libido. Monſtrant hi amores non aliter ſobolem humanam eſſe propagandam, quam a parentibus, fida & conſtanti amicitia conjunctis, & firmo, de continua vitae conſuetudine, & communis ſobolis curâ, foedere devinctis. Omnis enim fida amicitia perpetuitatem expetit: quae a certo temporis termino pendet, aut ab eventis quae conjuges fidiſſimi nequeunt praeſtare, nulla eſt.

Conjugum

Conjugum hi amores, & στοργη, a natura insita, ostendunt notandum esse Platonem, & alios quosdam minime malos; quibus, a naturâ, & communi etiam utilitate, audacius recedentibus, placuit, per prolem, neutri parentum agnoscendam, civitates suas esse reficiendas; ut avertantur incommoda quaedam, via multò leniore & gratiore praecavenda. Nullae quippe leges, nulli mores eousque valere poterunt, ut in parentibus de sua sobole incertis, omnique στοργη vacuis, idoneam communis sobolis curam excitarent. Quod etiam si fieri possit, gravatissime tamen ab iis praestarentur haec officia, in sobole conservanda & educanda, molestissima, quae certis parentibus, per στοργην, fiunt levia & jucunda. Sublata insuper sobolis cognitione, tollitur gravissimum omnis diligentiae & industriae invitamentum. Quin & in civitate sua Plato, ob causam non satis idoneam aut facilè intelligendam, civium paucorum tantum & praestantiorum habuit rationem, caeteris longe pluribus neglectis, & sub misera servitute relictis.

Quid, quod & contra incommoda, ex suae cujusque sobolis cognitione metuenda, per leges de juniorum educatione accuratiore, de testamentis, & successionibus, melius praecaveri poterat. Neque cognitae sanguinis

ſanguinis junctioni adſcribendae ſunt hae ſeditiones, & factiones crebrae, quibus civitates ſaepe videmus vexatas. Tollenda pariter foret & omnis amicitia; aut major hominibus, in amicis, aut Reipub. partibus eligendis, prudentia tribuenda, quam in liberis & cognatis educandis, aut haeredibus inſtituendis, iiſdem tribuit *Plato*.

De multorum imbecillitate, quos tamen haeredes inſtituendos ſuaderet ϛοργη, metus eſt inanis. Invalidis ſaepe valida eſt ſoboles; validiſque, invalida; ſive animum ſpectes ſive corpus. Neque ut omnes cives vel robuſti vel ſolertes ſint, ulli civitati opus eſt: ſaepe etiam ingenio & virtute pollent, quibus exiguae ſunt corporis vires.

IV. NON igitur hujuſmodi malorum metu, tot & tantae ipſius naturae commendationes negligendae: aſt potius rectae rationis dictata omnia & praecepta, quae monſtrant qua demum ratione, fida in conjugio amicitia, ad ſobolem educandam neceſſaria, conſervari poſſit, naturae leges cenſeri debent. Coercenda igitur non ſolum venus nefanda, in Deum naturamque contumax, hominumque generi peſtifera; verum & concubitus vagi, quos nullum de amica vitae conſuetudine anteceſſerat foedus: quippe qui promiſcuè permiſſi, juniorum & animos perderent & corpora; ſobolem incertam,

tam, omnique patrum cura destitutam, propagarent; matresque incautas ab omni honesta vitae conditione exclusas, ad infamiam, inediam, omniaque flagitia projicerent. Atque utinam patribus, talium flagitiorum auctoribus, eadem inureretur infamia.

Matrimonium inire tenentur adulti, quibus ad familiam, pro ipsorum conditione, alendam, facultates suppetunt; quique eâ sunt prudentiâ quae familiae regendae, sobolique educandae, est necessaria; nisi officiis honestioribus & hominum generi utilioribus distineantur. Turpe quidem est cuivis, sine gravi causa, curas & officia, humano generi, pro suis partibus, praestanda, detrectare.

V. FOEDERIS ineundi leges hae sunt praecipuae. Prima, " ut foemina viro cas-" tum servet cubile:" quum nihil magis nefarium sit, aut injuriosum, quam foetum viro supponere spurium, bonorum haeredem; & στοργὴν, verae tantum soboli debitam, dolosè intervertere.

2. Altera est lex, " ut parem uxori vir " servet fidem." Iniquissimum enim foret, ut uxoris amores conjugiales, & curae omnes, uni viro ejusque soboli devoveantur, quum viri amores, uxori primae ejusque soboli debiti, a nova quavis uxore, aut pellice, earumque sobole interversi,

dísperti-

difpertiantur; ejufque bona inter omnes dividenda permittantur.

3. Lex tertia eft; " ut voluntatum & ftudiorum conjunctione, familiae communis profperitati, praecipue vero liberis communibus educandis & amplificandis profpiciant."

Ut ad has leges obfervandas fint homines paratiores, a primis annis colenda eft & fovenda ea verecundia, & pudicitia, quam ingenuo cuique altè infixit ipfa natura. Damnanda igitur omnis in fermone aut moribus obfcoenitas, & impudica lafcivia; quae pudorem minuit, & verecundiae laxat vincula, quibus continentur juniores, foeminae praecipuè, ne vitae fe miferae & infami objiciant.

Cohibendi igitur viri, ne plures fimul habeant uxores; non ideo folum quod iniquum fit; verum quod omnem tollat e conjugio amicitiam; contentiones alat perpetuas; foeminas injuriofiùs tractatas, adulteriis objiciat; virorum animos vagis pervertat libidinibus, & ἀστόργους reddat; fobolem quibufdam fubmittat nimis numerofam, & ideo negligentius educandam, nullaque in parentem diffolutum pietate imbutam; quodque, quum mares foeminis numero pares confervet Dei providentia, plurimos

rimos a conjugio, & sobole suscipienda excludat, humanis immunes vinculis, quibus praecipue colligantur societates: neque tamen populum faciat numerosiorem.

4. Est & quarta lex; ut foedus sit perpetuum, sola morte solvendum; quod & verae amicitiae necessarium, postulatque fere sobolis, pro bona vitae parte nasciturae, educatio diuturna, utrique parenti imposita. Ab omni etiam humanitate abhorreret, conjugem repudiare amantem & fidelem, propter causas cum nulla turpitudine conjunctas; sterilitatem, nempè, aut valetudinem infirmam; aut casum tristem, a nemine mortalium praestandum, & repudiandae pariter deflendum; liberorum scil. communium interitum.

Quod ad imperium attinet, aut propriam aliquam potestatem conjugum alteri permittendam, amori ea omnis adversari videtur conjugiali, qui aequam potius commendat societatem. Neque quicquam aliud viris potiores tribuere videtur partes, quam quod gravioribus plerumque muneribus obeundis sint aptiores, quibus cedere debent minus gravia, domi ab uxoribus obeunda.

Leges quatuor jam memoratae, adeo sunt necessariae, ut si quae his derogent pacta, quamvis iis temere consenserint vir

& uxor, ea tamen ſint irrita *. Eſt igitur matrimonium, " foedus inter marem & " foeminam, de individuo vitae conſortio, " & ſobole ſuſcipienda & educanda, ini- " tum."

VI. MATRIMONII impedimenta, vel oſtendunt contractum a primo irritum fuiſſe, vel prius ratum rumpunt. Prioris generis quaedam ſunt *naturalia*, quaedam *moralia*.

In naturalium numero, praeter manifeſtam infirmitatem corporis ad conjugium plane inhabilis, ſunt pravitates quaedam inſignes, & morbi ſaeviores & inſanabiles, quae amicae vitae ſocietati, aut ſobolis vitalis procreationi repugnant; quales ſunt fatuitas perpetua aut inſania, lepra, aliique ejuſmodi. Aetas deinde admodum provecta, irritum reddit cum juniore initum conjugium. Si quidem aetate provectiores de convictu amico inter ſe paciſcantur, nihil

* Si quis in cauſa polygamiae ad leges gentium haud prorſus barbararum provocet; perpendat is, leges etiam iniquiſſimas de ſervitute, & de hominum in ſacris mactatione, apud plurimas gentes non minus invaluiſſe. Atque ſi polygamiam populo Judaico permiſſam fuiſſe doceant eorum leges; docet lex ſanctior, hoc ipſis tantum impunitum reliquiſſe Deum, pro gentis σκληροκαρδία, minime vero comprobaſſe. Romanorum *concubinatus*, licita fuere coelibum conjugia, aſt inaequalia, ſaepe poſt uxoris prioris obitum inita. Vid. *Heinec.* Antiqu. appen. ad L. I. c. 38. &c.

nihil impedit. Tertium eſt impedimentum, ſi alterutrius aetas ita ſit immatura, ut non adſit obligationi conſtituendae neceſſarius rationis uſus. Abſurdum enim eſt, ut quibus nulla alia in re, pacto quovis ſe obligare, per aetatem permittitur, in hac tamen longe graviſſima iiſdem liceat. Haec omnia legibus civilibus ſunt ſancienda.

Moralia, quae contractum a primo non obligaſſe oſtendunt, impedimenta, cenſentur contractus prior, & nimis arcta ſanguinis conjunctio.

Quod ad prius attinet: ſi qui, mala utrinque fide, novum ineant contractum, prioris cum tertio initi non ignari; pactum irritum eſt, & paciſcentes juſtis poenis ſe reddunt obnoxios. Ubi quidem unius tantum intervenerat dolus, ita alteri favendum, ut ob promiſſionem aut contractum clandeſtinum, non abrumpendum ſit matrimonium perfectum quod inſecutus eſt convictus: prout in aliis negotiis, priora jura perſonalia cedunt juri reali. Ne vero etiam poſt matrimonia perfecta fraudibus ſit locus, palam ante denuncianda omnia quae conficiuntur, aut confectorum continuò publica fieri debet denunciatio.

An jure etiam naturali nuptias impediat arctior ſanguinis nexus, altioris eſt indaginis. Inter parentes & liberos in linea rec-

ta, quae dicitur, ascendentes & descendentes, in infinitum, nuptias prohibere videtur lex naturalis; non solum ob aetatum discrimen insigne, verum multo magis, quod amor & consuetudo conjugialis, ei adversetur venerationi, quam liberis inseruit ipsa natura, & confirmavit. De nuptiis consanguineorum in linea transversa, quas adferunt rationes viri docti, vix quiquam affirmant. Quia vero apud plurimas gentes legis * Judaicae ignaras, ejusmodi nuptiae habebantur impurae & nefariae, credibile est & eas in prima mundi aetate lege aliqua positiva, cujus diu manserunt vestigia, fuisse a Deo vetitas. Ea autem lex hoc praecipue spectasse videtur, ut plures familiae gentesque ea devinciantur caritate & benevolentia, quae ex affinitate & sanguinis conjunctione oriri solet. Alia forte commoda hominibus nascituris prospexit Deus, ex eo quod gentes variae, conjugiis inter se misceantur.

Jure Civili, ut Christianorum etiam moribus, prohibentur nuptiae omnibus, qui sunt intra quartum gradum: & in hunc modum computantur gradus: consanguineis communis fuerat stirps aliqua, a qua quot intervenerant utrinque generationes totidem

* Levit. 18. Tacit. Annal. 12. 5. ff. 33. t. 2. 2 l. 17. ult. & L. 39. l. 53 Grot. II. 5, 12.

dem ſunt gradus. Simili etiam ratione, quiſque cum prioris conjugis cognata, intra quartum gradum, qui dicitur, *affinitatis*, matrimonium contrahere prohibetur. Jus vero *canonicum*, eadem retinens verba, longius multo nuptiarum impedimenta aut prohibitiones porrigit, gradus ſupputando ſecundum generationes in linearum tantum altera, ea quidem longiore, ubi non ſunt aequales; adeo ut reapſe prohibeantur nuptiae inter eos qui ſunt intra ſextum juris civilis gradum.

VII. CAUSAE ob quas rumpuntur matrimonia, ſunt legum praecipuarum violationes. Adulterium ſcil. aut obſtinata deſertio; capitalia item odia, & injuriae atrociores, omnem amicitiae in poſterum, aut tuti convictus & jucundi, ſpem adimentes. Soluto has ob cauſas matrimonio, in conjugem infidelem, & ſcelerum participes, graviore ſupplicio animadvertendum eſt; quum injuriae in conjugio illatae, damna dent graviora, atque altiora mentibus infigant vulnera, quam, quae capitalibus coercentur ſuppliciis, furta & rapinae. Alteri vero conjugi novum inire licet omnino matrimonium; nihil enim iniquius eſſet, qnam ob acceptam injuriam, lege etiam novam inferre, innocentibus a matrimonio cohibitis, atque a ſobolis ſuſcipiendae ſolatio. Neque

conjugi nocenti, si modo vita frui permittatur, adimenda est connubii ineundi potestas, nisi fortè cum sceleris socio. Permittantur isti nuptiae, ast tantum cum iis qui similibus delictis sunt infames.

Quae in Evangelio habentur sententiae, repudia omnia, solâ adulterii causa excepta, * prohibentes, sunt omnino elipticae; quales & illae quae omne vetant jusjurandum. Damnant scil. omnes quae apud Judaeos admissae erant causas, eâ unicâ exceptâ. Aliam vero diserte ostendit *Paulus*, † apertissima ratione, & latius patente, confirmatam; desertionem nempe in qua obstinato animo preseveratum est.

In conjugio officia, fido & constanti amore, omnique morum comitate, una cum prudenti rei familiaris cura, continentur. Quibus praecipue inserviet omnis virtutis cultura, mansuetudinis praecipue & patientiae; atque ut uterque perturbatis animi motibus, quos negotia saepe excitabunt domestica, modum ponere, assuescat. His sine virtutibus, vix gratus esse poterit convictus continuus, rerumque omnium societas. Quibus autem rationibus augeri possit res familiaris, ab iis petendum qui in artibus versantur quaestuosis.

* Matth. v. 32. Luc. xvi. 18. † 1 Cor. vii. 15.

CAPUT II.

De Parentum & Liberorum Officiis.

Quum diu infirma maneat hominum soboles, & se conservare nescia, aliorumque continua egeat tutela, ut iis artibus & moribus imbuatur quorum in vita est usus; hoc onus parentibus apertè imposuit Deus & natura, eximiam inserendo procreatorum curam. Tributa est igitur parentibus ea omnis potestas quam haec exigit tutela; eique liberos subjectos voluit natura. Ea parentum curâ & amore, satis plerumque cautum est liberorum tempestivae manumissioni & libertati, quippe sine qua beate vivere nequeunt, cui rei parentes praecipue studere solent.

Consilii in liberis immaturis inopia, quique parentibus insixus est amor gratuitus, duo parentum potestatis fundamenta, eam ostendunt haud esse perpetuam; tum vero desinere quum adoleverit eorum aetas & prudentia. Manet tamen idem parentum amor, ad omnia eos excitans officia, quibus liberos adultos, vel ope vel consilio juvare possunt. Osten-

Oſtendunt & eadem omnia, poteſtatem hanc ad ſupplicia quaevis graviora, quae aetatis tenerae haud exigere poteſt tutela, neutiquam eſſe porrigendam; multo minus ad vitam, aut omnem libertatem tollendam. Nihil egerit parens qui liberos in perpetuam vendiderit ſervitutem, aut onere quovis praegraverit, ultra impenſas quae in iis educandis, viro prudenti erogandae viderentur.

II. Utrique etiam parenti pariter commiſſa eſt haec poteſtas; niſi quod in re familiari adminiſtranda, potiores paulo ſunt patris partes: eo tamen defuncto aut abſente, omnem eam poteſtatem jure ſibi vindicabit mater.

Nugantur omnes qui poteſtatem hanc in ſola fundari volunt procreatione; ridiculè ſecuti, in re diſſimillima, juriſconſultorum axiomata, de rerum inanimarum *ſpecificationibus*, & *acceſſionibus*, vel de pecorum foetu, qui nullum habent rationis uſum, juriſve notitiam. Dei planè arte fabricata ſunt liberorum & corpora & mentes, ut in aequalem vitae conditionem, & aequi juris uſum tandem perveniant; licet aliquamdiu aliorum prudentia ſint regendi. Rerum dominia aliaque jura habent liberi, ab omni parentum poteſtate exempta; qui non aliud, in liberorum bona aliunde derivata,

jus habent, quam tutores. Qui tutelam a natura ſibi commiſſam abdicaverit, prolem exponendo aut negligendo, omnem abdicat poteſtatem cum ea tutela conjunctam: quam omnem ſibi acquiſiverit, qui prolem abjectam alere voluerit & educare.

Liberis praebere tenentur parentes, idque ſanctiſſimè, non ſolum neceſſaria vitae praeſidia, verum & ornamenta; eorumque uberiori foelicitati ſtudere: praecipue vero, & doctrina & exemplo mores eorum ad omnem virtutem conformare, citra quam liberis vita erit infoelix & erubeſcendá, quantumvis rerum externarum copia abundet.

Quae erogant parentes in liberos queis nullae aliunde ſunt facultates, ea donare intelliguntur; atque calculos aliter ſubducere, ut ob victum & amictum pretium exigatur, ubi non magna premuntur parentes inopia, ab omni abhorreret humanitate. Premente vero egeſtate, aut ubi liberis aliunde pervenerant opes; parentes omnia in liberos prudenter erogata jure repoſcunt; eaque parenti egeno, etiam laboribus ſuis praeſtare tenentur liberi. Quantumvis igitur, pro communi parentum affectu, recte intelligatur, liberorum non minus quam ſui causâ, parentes rem comparaſſe familiarem, unde & liberorum ad parentum haereditates ſuccedendi jus innoteſcit; non tamen

eo

eo minus, immo eo magis ſancta eſt liberorum ad gratiam habendam & referendam obligatio: quo firmior enim, quo magis gratuita, atque ab ipſa natura profecta eſt amicitia & benevolentia, eo pluris eſt aeſtimanda, eoque major debetur gratia.

III. PARENTUM poteſtas legibus civilibus augeri poteſt, ut & ea quae magiſtratibus quibuſlibet data eſt. Imperium Civile diverſis cauſis innixum, & majora omnia ſpectans, pertinet ultra imperii *parentalis* fines. Quaſi enim ex contractu, ad ea omnia recte extenditur, quae ab iis merito flagitari poſſunt, qui ob communem plurium utilitatem conſociati, omnium conſilio & viribus proteguntur, cunctaque vitae civilis commoda & ornamenta ſortiuntur, quique haec omnia poſteris tradere ſanctiſſimè tenentur. Minores igitur aut pupilli obſides jure tradi poſſunt exteris; ad extrema pericula adeunda, quum civitatis hoc exigit ſalus, rectè adiguntur.

IV. LIBERI quamvis adulti, ad pietatem in parentes obſervantiamque, & ad gratiam referendam, ſanctiſſime tenentur; non ſolum ob parentum merita, quibus raro liberi vicem reddere poſſunt; verum ut Deum ſequantur ducem & naturam, qui nos his parentibus ortos, cumque his ſanguine, caritate, & veneratione ab incunabulis inchoata,

choata, conjunctos eſſe voluerunt. Eorum igitur mores, quamvis parum commodos, amiciſſimè ferre decet, prout & illi olim noſtros, diu pertulerunt. In matrimonio praecipuè contrahendo, parentum auctoritatem ſequi tenentur liberi; quum parentum multum interſit, quibus liberi, in vitae communitate omnium arctiſſima, ſe adjungant; unde naſcituri ſunt nepotes, in eorum jura & nomina ſaepe, ſemper in στοργὴν, ſucceſſuri.

Parentum imperium ſaepe excipit poteſtas patrisfamilias; quae tanta eſt quantam, ſuo conſenſu vel palam declarato, vel tacito, eam fecerunt liberi adulti, aut alii, qui ſua ſponte, poteſtatis arrogatae conſcii, in ipſius degunt domo.

CAPUT III.

De Herorum & Servorum Jure.

AUcto hominum genere, ſubinde extiterunt plures ſuis laboribus alendi, quibus nempe nulla rerum neceſſariarum ſuppetebat aliunde copia: alii vero fuere opulenti, plurium miniſterio & operis, ad vitam faciliorem, indigentes. Hinc orta eſt

eſt conditio ſervilis, pactis innixa. Quae utrum a primo perpetua fuerat, an temporaria, parum attinet exquirere; quum utrobique, excepta duratione, eadem fuere jura & obligationes. Quae ſequuntur ſunt magis ad rem;

1. Sani hominis & validi labores & operae longe pluris ſunt aeſtimandae, quam ipſius victus ſimplicior & amictus. Quippe videmus iſtiuſmodi homines operis ſuis, aliquid etiam ad voluptatem & ornatum, aut ad familiam alendam comparare. Si quis igitur incautus nihil ultra victum & amictum, pro operis ſuis, fuerit ſtipulatus; ex eo contractu, utpote apertè oneroſo, jure pleno, exigere poteſt ut quod deeſt ad aequalitatem ipſi ſuppleatur.

2. Ubi nihil de operarum genere diſerte convenit, intelligitur ſervum ſibi ſuſcepiſſe eas ſolum operas, quas heri non inhumani a ſervis ſolent exigere; ſeque hero modicè caſtigandum permiſiſſe, quoties ceſſaverit, aut familiae ſtatum turbaverit. Caetera omnia hominum jura naturalia aut adventitia ipſi ſervo manent intacta.

3. Si quidem ſatis innotuit, in moribus eſſe, patresfamilias ſegreges, in domeſticos imperium aliquod civile ſibi arrogare; huic etiam, quouſque non ab humanitate abhorret, ſervum ſe ſubjeciſſe merito colligitur

gitur. Servi operas quidem jure exigit herus; caetera retinet jura servus, quae cuivis ex populo manent sub imperio civili: omnia certe jura naturalia quae alienari nequeunt: & ad omnem vim iis defendendis necessariam, contra herum ea violaturum, recte procurrit.

4. Ubi de certis tantum operis pactum fuit, ad has solas obligatur servus. Quin imo, licet quascunque praestare posset operas susceperit, easque perpetuas, non tamen idcirco dominus eum invitum alteri emancipare poterit: quum servi plurimum intersit cui serviat domino, & in qua domo. Servorum autem hujusmodi omnium libera nascitur proles.

II. Hactenus de servitute sponte contracta. Deterior longè istiusmodi servorum conditio, qui ob grave damnum a se datum, quod alia nequeunt compensare ratione, aut qui ob delictum atrox, poenae nomine, ad perpetuas operas praestandas addicuntur.

Neque tamen vel hi omnia hominum amittunt jura; ea enim sola, quae damno reparando inserviunt, quibusve, ne similes in posterum injuriae inferantur, caveri poterit, ipsis adimenda. In sceleratissimos, si modo ipsorum vitae parcatur, postquam, ad omnes a similibus delictis deterrendos,

 publicas

publicas poenas pertulerunt, non eſt ultra ſaeviendum, quum labores ipſis impoſitos non detrectant. Immo juris quicquid ipſis manet, recte per vim defendere poſſunt. Quum vero in ſervitute his de cauſis conſtituenda, aliorum tantum ſpectetur utilitas, herus iſtiuſmodi ſervum invitum ad alterum transferre poteſt. Nulla vero de cauſa, ex hominum numero, in belluarum, aut rerum inanimarum ordinem, ſervi jure detrudi poſſunt, ita ut nullius juris ſint participes.

In hanc deterrimam conditionem, omnes in bello captos detruſerunt olim gentes, haud caetera barbarae, mirum in modum conſpirantes ad graviſſimas contumelias & aerumnas, ſibi fortè, aut poſteris, olim arceſſendas. Qua de re haec vera videntur aphoriſmata.

1. Qui injuſtam in bello cauſam tuetur, nullum in res aut homines captos jus acquiret, quo ſalva fide & juſtitia uti poſſit; quamvis rebus captis impune frui liceret; quod & jure quodam munitur externo; de quo aliàs.

2. Qui juſtam habuit belli cauſam, intra juſtos tamen petendi fines ſe continere debet. Neque quicquam a victis jure exigere poteſt, niſi vel poenae nomine, vel damni

ni reparandi; vel ut in posterum de non laedendo caveatur.

3. Poenae nomine nihil ab iis exigi potest qui nihil ad bellum attulerunt, vel faciendo vel non faciendo secus quam debebant; quae longe plurium civium adultorum est causa: ne de uxoribus dicamus & liberis, qui duas aut tres conficiunt civitatis cujusque partes; quibusque bonorum omnium est dominium cum patribus familias commune. Si tributā in belli sumptus pependerant patres familias; nullo ob id crimine sunt obstricti. Haec sub gravi solverant necessitate, per vim alias & supplicia extorquenda. Quamvis etiam bello consenserant, speciosis permoti rationibus a principibus suis denunciatis, invicta erat ferè eorum ignorantia. Neque quicquam eorum consensus ad bellum attulit, neque dissensus bellum prohibuisset. Neque adeo arcta est conjunctio quaevis politica, ut unius delictum in alterum non concurrentem transferri debeat.

4. Non alio juris fundamento quicquam ab innoxiis postulat civibus victor, damni reparandi nomine, quam quod substernitur *actionibus noxalibus & de pauperie ;* quod scil. qui quaedam suae utilitatis praesidia sibi adscivit, ex quibus alii nullâ suâ culpà damnum sunt passi, is vel damnum sar-

cire, vel, si malit, rem damnosam laeso dedere teneatur. Jure igitur aliquando a victis civibus id exigit victor, ut ipsorum deferant principes, belli injusti auctores; aut eos damna reparare cogant, aut ipsi ea reparent. Horum autem victis danda optio. Haec quidem de primis civibus qui imperia primum constituerunt; aut de potentioribus, quorum opibus & consilio injustum bellum erat susceptum; quique poterant principes injusta molientes cohibuisse, apertius tenent: caeterorum, qui parum in Republica possunt, favorabilior est in ipso damno praestando causa.

5. Quum primum vero hostes vel sponte victori damna data repararunt, vel ipse victor, rebus eorum per vim occupatis, damnorum compensationem est consecutus, una cum cautione in posterum, ad viri probi arbitrium; nihil amplius a civibus devictis exigere potest. Haec vero omnia, leniore multò ratione assequi possunt victores, quam ademptâ civibus innoxiis libertate. Ad haec autem praestanda primò tenentur qui imperio praesunt; his vero cessantibus, tenentur cives.

6. Quod ad ipsos attinet milites, qui consiliorum publicorum neque participes, neque fautores, speciosis illecti causis nomina dederunt; illis ob ignorantiam, & necessi-

tatem

tatem, venia danda. Conſcriptis enim imperata detrectare facinus eſt capitale. Ab illis igitur, poenae nomine, quicquam gravius exigere inhumanum eſſet; ſi modo ab iiſdem in poſterum ſatis caveri poſſit: quod, illaeſa eorum libertate, eos apud ſe detinendo, aut in civitatem ſuam aut colonias adſcribendo, victor ſemper ſibi poterit praeſtare. Quae omnia ſuaderet & humanitas, & fortunae belli maxima inconſtantia.

7. Servorum omnium ſobolem eſſe naturâ liberam, ſatis antea oſtendimus.

8. Qui ſervum emit, aut eum emptum vi detinet, ipſius eſt oſtendere ſervum jure libertatem amiſiſſe. Antiquus ſemper adeſt dominus; quum adultos quoſque ſui juris conſtituat natura. Poſſeſſoris igitur violenti eſt probare ſe jure poſſidere; non ſervi, probare propoſitionem negantem, ſe non jure libertatem amiſiſſe.

9. Neque dixeris, captivos niſi vendi poſſint, interimendos; ideoque vitam ipſam emptoribus debere. Eſto. Hinc tamen non alia emptoribus naſcuntur jura, quam quae negotium utile gerenti, aut vitam civis contra latrones defendenti, aut captum a piratis redimenti, aut morbos & vulnera graviora, ſine ope medicâ lethalia, ſananti. His omnibus impenſae, & laborum curaeque pretia, quodque *aequius melius*, ſunt per-

 ſolvenda:

ſolvenda: nullum tamen imperii jus herilis inde naſci poteſt.

III. UT ſervi cujuſque, qui jure alteri ſubjicitur, officium eſt, ſtrenuam & fidam, domino, aut hero potius, operam praeſtare; Deumque communem omnium dominum, omnia intuentem, in omni miniſterio praecipuè reſpicere; ita domini eſt, nihil ultra juris ſui limites a ſervo exigere, atque ab omni abſtinere ſaevitia, ut decet hominem, communis cognationis, humanaeque conditionis inſtabilis memorem; quique novit animos ſervorum & corpora, eadem, qua noſtra, materiâ conſtare, & paribus elementis; Deoque, communi omnium parenti & domino, vitae actae rationem eſſe reddendam.

CAPUT IV.

De CIVITATUM ORIGINE & CAUSIS.

DE domeſticis ſocietatibus ſatis dictum: ad civitatum cauſas & jura explicanda progredimur. Per ſocietates & conjunctiones jam memoratas, ſi nemo ſuo deeſſet officio, copioſa ſatis eſſet hominum vita & jucunda.

jucunda. Ad civitates igitur & imperia civilia constituenda permoti fuerunt homines, malorum metu, quae vel ex hominum imbecillitate vel improbitate oriri possunt. Haud tamen idcirco naturae contraria dicenda est vita civilis: quicquid enim monstrabit ea ratio quam nobis natura inseruit, ad mala prohibenda, aut commoda consequenda, necessarium esse aut utile, illud omne est maxime secundum animantis providi, & sagacis naturam. Jure igitur dicuntur homines φύσει ζῶα πὸλιτικά.

Fingamus autem omnes ita esse probos, ut ea sola consultò velint aut cupiant, quae ipsis justa videntur; erroribus tamen de suo & aliorum jure, suae utilitatis appetitione, & perturbationum impetu, ipsos fallente, saepe esse obnoxios. Lites hinc saepe exsurgere necesse est. Fingamus & plures esse ita suspiciosos, ut lites ortas arbitris permittere nolint, timentes quisque alterius gratiam, aut artes, quibus arbitros corrumpere possit. Huc si accedat nimia utrinque virium suarum fiducia, & in sua sententia tuenda pervicacia, non sine saevis belli malis lites dirimentur.

Quin & imperia civilia hominibus propius commendavit ipsa natura. Mortalium nonnulli caeteris multo sunt solertiores; quod & caeteri non raro fatebuntur: poterunt

terunt hi ſolertiores & ſagaciores plurima in communem excogitare utilitatem, omnium viribus exequenda; poterunt & optimas monſtrare rationes, quibus ſibi quiſque & ſuis conſulere poteſt, ſi modo eorum monitis paruerint. Quod ſi ſolertiae conjunctae ſint virtutes praeclarae, bonitas, juſtitia, fortitudo; earum ſignificatio fidem apud omnes conciliabit, & omnium accendet ſtudia, ad viros his ornatos virtutibus, honoribus & poteſtate ornandos & amplificandos; hiſque auctoribus, foelicia omnia & laeta arbitrabuntur ſe conſecuturos. Ad civitates igitur conſtituendas non ſolùm injuriarum metus, verum & virtutes hominum egregiae, & naturalis virtutum comprobatio, plurimum contuliſſe videtur.

II. Si vero etiam ſpectetur plurium improbitas, morumque depravationes, avaritia, ambitio, luxuries; tum vero patebit ſine poteſtate civili, hominum non modo utilitati & foelicitati, ſed nedum ſaluti, ſatis conſuli poſſe: eâque ſolâ, malis hiſce ab hominum vitiis oriundis, optimum, & in improvidi & incauti cujuſque oculos incurrens, remedium adhiberi. In magno enim concilio, quamvis ita vigeat injuſtitia, ut occaſione oblata, quiſque ſui cauſa, injuſta ageret; idem tamen alium moribus parem, eademque peragentem, ſi modo ipſe nullum

lum inde capiat fructum, odio habebit & damnabit. Ab istiusmodi igitur hominum concilio, alterius cujusque improbitatem damnantium, quamvis suae quisque secretò indulgeret, nunquam leges condentur iniquae. Quemque suam profiteri injustitiam pudebit; & sibi quisque ab alterius metuet improbitate, nisi justis & aequis coerceatur legibus, & poena repraesentata.

Neque alia ratione hominibus satis caveri poterit. Licet enim non adeo depravati essent homines; pluresque incitaret humanitas & recti honestique sensus, ad vicinos ab injuriis defendendos; illi tamen ex metu aut ignavia saepe hoc desererent officium, ubi cum periculo esset conjunctum: atque ipsorum fortium & proborum multitudo, nisi uno regatur consilio, pro diversis, de opis ferendae ratione, sententiis, & quorundam pertinacia, in diversa omnia abiret; & disjuncta, paucioribus & minus strenuis conjunctis, praedae esset & ludibrio.

His incommodis perspectis, credibile est, prudentiores & sagaciores hoc praecipuum excogitasse remedium, ut magnus hominum numerus inter se paciscantur, de societate ineunda, in singulorum, communemque omnium salutem & utilitatem, communi prudentiorum consilio regendâ:

cujus

cujus commoditatibus palam expofitis, alios etiam fibi focios adfcivifle.

III. Qui civitatum originem ambitioforum adfcribunt violentiae; id jam antea, alia ratione, factum ftatuunt, cujus de prima origine & caufa anquirunt. Nemo enim unus, fine plurium antea fibi fubjectorum ope, hominum multitudinem, civitati conftituendae idoneam, fibi poterat fubjicere. Conftituta igitur fuit civitas, ante eam vim cui primum civitatum ortum adfcribunt.

Si quis dixerit, patremfamilias opulentum, fuis & domefticorum viribus vicinos fibi fubjicere potuiffe: Efto. Aft non nomina, fed res ipfae funt fpectandae. Regio enim imperio nonnunquam utebantur patresfamilias opulentiores: atque infuper, juftas nos imperii jufti caufas quaerimus, non injufti violentas.

IV. Ad communem utilitatem plurimum hoc conferre, quod imperitiorum multitudo prudentiorum regatur confilio & ratione, negaverit nemo. Quod fi ex inepta Reipub. forma eveniat, ut parum prudentibus, aut improbis, nimia permittatur poteftas, hoc plurimum obeffe poffe, fatebuntur omnes; prout in aliis rebus, rei optimae cujufque peffima peterit effe depravatio. Nihil tamen hinc vitae civilis utilita-

ti aut dignitati detrahetur. Ingenii vires hominibus a Deo sunt datae, ut optimas, ex innumeris, quae excogitari possunt, imperii formas sibi eligant.

Est igitur civitas "liberorum hominum "coetus, sub uno imperio in communem "omnium utilitatem consociatus." Communem omnium utilitatem potestatis civilis finem esse, inter omnes convenit. Hoc contendit populus; in hoc se jactant Reges omnes, qui non insano scelere, humanae conditionis obliti, Dei opt. max. jura sibi arrogant, aut iis etiam ampliora. Quicquid est civile, id toto coelo, ut aiunt, distat a dominatione *despotica.* Ea sola igitur potestas civilis est justa, quae communi inservit utilitati. Quae huic obstat, utcunque populi hebetioris, & incauti consensu constituta, nullo munitur jure. Vitium contractui inhaesit; quia in iis erratum est, quae hic praecipuè spectari, omnibus est notissimum.

Mirari subit, quorundum non indoctorum orationes, in vitae civilis incommodis & oneribus molestis depingendis, ita nonnunquam exultare, ac si ab ea vita ineunda homines vellent deterrere; quod tamen ne fiat, libertatis statum, pari modo, deformant, larvarum omnium maxime horribilem. Utrique quidem statui sua sunt commoda

moda & incommoda. Non levia in libertate soluta, mala sunt subinde metuenda; atqui non continua: malis in vita civili metuendis, graviora quidem & crebriora, in libertate sunt metuenda; nisi in civitate constituenda aberat omnino prudentia. In civitate enim, contra ea mala, aliorum auxilia certius quisque sibi polliceri potest.

CAPUT. V.

De interna CIVITATUM STRUCTURA, & summi IMPERII Partibus praecipuis.

QUUM imperatorum nemo suum sibi populum progenuit, neque, si progenuisset, potestatem parentis in fratres adultos, ad haeredem transmittere posset; quippe quae parentum στοργη, & immaturo liberorum judicio, tanquam unico fundamento, innitatur; a *parentali* neutiquam deducenda est potestas civilis. Neque, in populum universum justiùs arrogari potest potestas herilis; quod ex jam dictis satis constat. Neque deinde oraculo Deus reges, aut alios creat magistratus, modumve imperii, aut fines constituit: nec denique vires

res nullo jure innixae justam potestatem tribuere possunt: populi igitur conventione & decreto constitutum est verum omne jus imperii.

In casibus forte rarioribus, res aliter se habere potest. Quum enim populi salus & foelicitas sit unicus imperii finis; ubi satis huic consulitur, a viro prudente & praepotente, in forma imperii praescribenda, quam omnes periculo tandem facto, libenter sunt amplexuri; poterit idem, non inique, populo rudi, & rerum civilium imperito, licet non consentienti, imperii formam praescribere legitimam, communi foelicitati inservientem, quam omnes suffragiis suis mox sunt comprobaturi. Quum vero nemo de sua salute dubius & metuens, cui praecipua hominum jura, minime contra potentiorum vim tuta esse & munita viderunt, beatus esse possit; nisi vel antecedat populi consensus, vel subsequatur, justum esse nequit imperium.

II. In potestate civili, ratione & via constituenda, haec tria ut concurrant est necesse; primo, Pactum omnium inter se, quo convenit ut in unum populum, communi regendum consilio, coalescant. Deinceps sequitur populi decretum, imperii formam modumque constituens, rectoresque designans. Tertio denique, pac-

tum inter rectores designatos, & populum; hunc ad obsequium, illos ad imperii sibi commissi, in communem utilitatem, administrationem fidelem adstringens. In primis quidem civitatibus constituendis, vix est credibile popellum rudem & incautum, egregias quorundam virtutes suspicientem, haec omnia hoc ordine disertis transegisse verbis. In omni tamen justa imperii civilis constitutione, actum est aliquid, quod horum omnium vim in se continet; quum omnibus satis notus sit unicus potestatis deferendae & suscipiendae finis.

Qua autem ratione in posteros eorum qui primi civitatum constituerunt, transmittatur haec obligatio civilis, ex his monitis constabit.

1. Civium quisque non sibi solum, verum & liberis, a civitate defensionem stipulatur, & omnia vitae civilis commoda. Liberis gestum est negotium utilissimum; unde citra suum consensum, ad ea omnia, pro ipsorum viribus, facienda praestanda adstringuntur, quae ob istiusmodi commoda ab adultis jure flagitari poterant. Nihil autem aequius quam ut singuli, pro virili parte, eam tueantur civitatem, neque ab ea intempestive discedant, cujus beneficio diu protecti, innumeris potiti fuerant vitae

tae excultae commodis; utque haec a majoribus accepta ad posteros transmittant.

2. Quum non sine gravi periculo, manerent agri intra civitatis fines ab ipsius imperio immunes, hosti aut fugitivis recipiendis patentes; jure censentur omnes cives agros suos ita imperio subjecisse civili, ut eorum dominium nemini, qui non civitati subjectus degat, cedere possit.

3. Libero tamen quovis tempore, iniquum videtur, cives prohibere ne solo mutato agrisque venditis, civitate etiam mutari possint. Reipub. enim, singuli plerumque, per tributa, aliaque ipsis onera imposita, beneficiorum acceptorum compensationem praestant. Neque aequum fuerit eos impedire, quo minus alibi melius sibi consulant. Nec metus ne civitas ulla penitùs deseratur, nisi quae vel pessime sit instituta vel administrata; in ea autem causa, potiore jure cives postulant ut civitate mutari liceat, neque in civitate inviti manere cogantur.

III. CIVITAS in hunc modum constituta personae unius rationem subit, cui jura competunt ab omni privatorum jure diversa; quin & obligationibus, quibus tenetur nemo privatus, adstringitur: rerumque omnium administrationem certis hominibus aut consiliis committit. Inter diversas istiusmodi civitates, in libertate quippe naturali de-

gentes, idem fere jus, eaedemque leges naturales, quae inter ſingulos in primaeva libertate, vigent; eadem, aut iis ſimillima ſunt civitatum jura perfecta; eadem debentur mutuo officia humana; ſimilis eſt pactorum obligatio; idem ſe ſuaque per vim defendendi jus: eademque eſt omnium civitatum ratio, quae non ſub vicinae cujuſpiam ditione tenentur, ſive eae majores ſint ſive minores; quocunque demum nomine vocentur, ſive humili, ſive glorioſo. Facili igitur nominum & perſonarum mutatione, jus naturale privatum fit jus fere omne publicum, cujus neceſſaria eſt obligatio. De voluntario jure publico, aliàs.

IV. Potestatis quae ad civitatem regendam exigitur, partes, aut ſummi jura imperii, ſunt vel majora vel minora. Majora, intra civitatis fines exequenda, *immanentia*, a quibuſdam appellantur: quae exteros reſpiciunt, *tranſeuntia* dicuntur. Prioris generis ſunt, primò, *jura legum jubendarum*, quibus civium actiones ſunt regendae, & jura ipſis tuenda, legum naturalium habita ſemper ratione.

2. Jus deinde *exigendi tributa* omnia, aut reditus publicos, quos prudens exigit reipublicae adminiſtratio: quod jus in priori contineri poteſt. Tributa dixerunt Romani quae a civibus perſolvebantur; vecti

galia

galia quae a provinciis ſubactis. Ex quibus omnibus, quae ad principum familias ſuſtinendas deſtinantur, *res Fiſci* dicuntur; quae vero in Reipub. uſus impendenda ſunt, ad *aerarium* deferuntur. In priora, principibus electione nova creandis, jus eſt quale *uſufructuariis*; hereditariis vero, jus *feudatarii*: neutris licet privatis ſuis debitis imperii ſucceſſores onerare. Sola autem aerarii, in Reipub. uſus adminiſtratio rectoribus quibuſvis commiſſa intelligitur.

3. Tertium eſt jus *legum exſequendarum*, quae *executiva* dicitur poteſtas; juriſdictionem omnem continens ad lites dirimendas, & jus magiſtratus creandi & miniſtros, ad rempublicam adminiſtrandam, & tributa exigenda.

Jura *tranſeuntia* ad haec reducuntur capita. 1. *Jus belli*, quod in ſe omne belli gerendi arbitrium continet, in exercitu conſcribendo, ducibuſque ſive ſummis ſive inferioribus conſtituendis.

2. Jura *foederum faciendorum*; cui connexum eſt jus legatos mittendi, ad foedera, quae aut pacem reducant, aut commercia conſervent, tranſigenda.

Ab his diverſum eſt *jus imperii eminens*, quo in caſibus gravioribus & inſolitis recte utuntur imperatores, contra ea civium jura, quae, libero quovis tempore, ſunt ſanctiſ-

ſime conſervanda; quandam rei familiaris partem, aut operas, etiam cum ſummo conjunctas periculo, exigentes, ultra quam aliàs praeſtare tenentur. Huic imperatorum juri reſpondent in ſtatu libero, inſolita ea, quae premente neceſſitate oriuntur jura.

Minora imperii jura haec ſunt, "Dignitates civiles conferendi, nummos cudendi, nundinas feriaſque permittendi, liberos legitimandi, aetatis veniam largiendi, poenas remittendi, debitoribus inducias dandi," & id genus alia; quibus, utpote facilibus, neque civitati omni neceſſariis, non immoramur.

V. Summum in civitate imperium is homo, aut plurium concilium, habere cenſetur, qui majora quae diximus imperii jura, vel omnia, vel pleraque, pro ſua prudentia exſequi poteſt, neque alterius, aut hominis aut concilii, poteſtati ſubjicitur, cujus voluntati ipſius actus fieri poſſint irriti. Summam ſaepe habet poteſtatem, qui non habet infinitam, nulliſve limitibus circumſcriptam; immo qui ne vel perpetuam; neque imperii ſucceſſores deſignare, aut leges quibus civitas erat fundata immutare poteſt. Summus ille erit imperator, cui praecipuae poteſtatis civilis partes ſunt permiſſae, pro ipſius arbitrio, intra certos fines, in reipublicae utilitatem exercendae:

qui

qui neque alterius juſſu, aut mandato ſubinde interpoſito, civitatem regit, cujuſque actus, intra poteſtatis ſibi permiſſae fines, a nullius conſenſu vim ſortiuntur.

In omni civitate, ſumma alicubi reperitur poteſtas, quae *majeſtas* dicitur, vel apud regem, vel ſenatum, vel populum. Neque eam imminuunt cum exteris inita foedera, quamvis incommoda, niſi majora civitati ipſi adimant imperii jura, aut prohibeant ne ſui juris perſona politica maneat.

Si quidem pluribus civitatibus, hoc, quacunque de cauſa, eveniat, ut uni homini aut uni concilio perpetuo, quarundam imperii partium concedatur adminiſtratio; illae civitatum *ſyſtema* conſtituunt: quales, ex noto apud antiquos exemplo, civitates dicuntur *Achaicae*. In unam autem civitatem plures tum demum coaleſcere dicuntur, & unam gerere perſonam, quum uni homini, aut uni concilio, aut iiſdem vel hominibus, vel conciliis, permittuntur omnes poteſtatis partes majores, qua omnium fines patent, adminiſtrandae.

CAPUT VI.

De variis RERUMPUBLICARUM Formis.

SIMPLICIUM civitatum tria sunt genera. Ubi omnes imperii partes uni homini committuntur, dicitur *monarchia*; cujus varia sunt nomina: ubi concilio unico, idque ex optimatibus constat, *aristocratia*; si vero ex omnibus civibus, eorumve delegatis constet concilium, dicitur *democratia*.

Concilium, cui permissa est potestas, id voluisse censetur quod pluribus placuit; nisi lege aut decreto quodam primario, quo civitas fundatur, cautum sit, quota concilii pars rerum publicarum administrationi sit necessaria. Praecavenda etiam fallacia satis nota, semperque metuenda, ubi quaestio trimembris est decidenda, eâ vel ad bimembres duas reductâ; vel membro uno, suffragiis de eo prius latis, excluso; quod etiam in magistratibus, ubi plures sunt petitores, creandis observandum.

Generis cujusque simplicis plures sunt partes. Monarchia enim vel est *absoluta*

&

& interminata, ubi unius prudentiae tota permittitur reipublicae administratio, nullis positis limitibus, praeter eos qui ex politiae omnis natura & fine intelliguntur; vel est *terminata*, ubi legibus quibus civitas fundatur, aut in ipsa potestate deferenda, certis terminis circumscribitur imperium, populique jura quadam sanctiora eximuntur. Utriusque generis monarchae vel jure hereditario succedunt, vel a populo creantur, aut eliguntur: idque vel in perpetui imperii jus, vel temporarii.

Aristocratiae pariter plura sunt genera, hisque consimilia: *absoluta* nempe, sive infinita, aut *terminata*, & lege circumscripta; *haereditaria*, aut creationibus novis reficienda; *perpetua*, aut *temporaria*. In hac temporaria, pro certo tempore suffragii jure gaudent senatores; quo peracto, sufficiuntur in eorum locum alii: quod si populi suffragiis fiat, & civis cujuscunque, qui se petitorem profiteatur, habenda sit ratio, democraticum potius videtur concilium. Sin per cooptationem reficiatur senatus; aut optimatibus solis petere liceat; erit aristocraticum. Si ex censu majore petendi jus oriatur, proprie oligarchicum dicitur; aut ubi agrorum quorundam domini, eo ipso fiunt senatores, quod eos jure possideant. Ubi vero hi soli qui honoribus functi,

ti, gratiam fidemque consecuti sunt, creari possunt, a quibusdam, κατ' ἐξοχὴν, *aristocratia*, aut *politia* dicitur.

Conciliorum popularium diversa sunt genera; comitia curiata & centuriata duorum exhibent exempla. In illis suffragii pari jure gaudebant cives omnes; in his pro ratione census; quae dicebantur *timocratica.* Sorte etiam alicubi definiebatur, quibus dandum esset in comitiis suffragii jus: alicubi ex tribubus aut curiis diversis, quibus distinctus fuerat populus, eligebantur delegati, qui concilium constituerent populare.

Junctarum & multiplicium formarum ingens est numerus, prout cum diversis monarchiae generibus conjunguntur concilia diversa, vel senatoria vel popularia; atque prout variae imperii partes vel regi, vel senatui, vel concilio populari, vel omnibus simul permittuntur.

III. Ut formas praestantiores a deterioribus secernere valeamus, haec pauca sedulo sunt spectanda.

1. Quatuor haec in politia retinenda, ut foelix sit reipublicae status, ut scil. imperatoribus adsit prudentia, optima quaeque perspiciens; & fides communi consulens prosperitati; ut conservetur concordia; denique ut reipublicae negotia & celeriter

&

& ſecreto poſſint expediri. De his ubi ſatis eſt cautum, non melius communi civium proſperitati, per politiam conſuli poterit.

2. Ubicunque non uni homini aut concilio, aſt pluribus datae ſunt ſummae poteſtatis partes; inter eos intervenire debet aliquis imperii nexus, ne in omnia contraria abire poſſint. Ne ſcil. Rex inconſulto aut invito concilio, vel ſenatorio, vel populari, quicquam gravius moliri queat; nec concilia, rege inconſulto aut invito; neve unum concilium altero invito. Si hac de re ſatis cautum fuerit, melius inter diverſos, ſive diverſa, quae dicuntur, *ſubjecta*, dividuntur imperii partes, quam ſi omnes uni, ſive regi ſive concilio mandarentur.

3. Stabile neutiquam erit imperii jus, niſi rerum dominio aut opibus fultum: aliter perpetuis civitas fluctuationibus & ſeditionibus vexabitur. Rerum enim dominia potentiam ſecum ferunt, quae jura nullis opibus ſubnixa evertet, aut ipſa cum divitiis collabetur. Stabile tum demum erit regnum hereditarium, ubi agris ſuffultum eſt aut provinciis hereditariis; ſtabile ſenatus imperium, ubi agrorum bona pars eſt ſenatorum: ſtabilis civitas popularis, ubi

ubi vigent leges agrariae ; aut ubi alia quavis ratione agri inter plurimos dividuntur dominos. Quamvis autem, nisi gravi de causa, seduli & solertiores non sunt cohibendi, quo minus rem suam familiarem bonis artibus augeant ; (quod democratia vel optima permittet, quantum exigere potest vitae vel jucunditas vel voluptas quaevis, viro bono expetenda,) non tamen cum plurium salute, aut libertate, pensanda est inanis paucorum vel ambitio, vel luxuries, vel avaritia. In omni igitur populo libero, jure per leges agrarias praecavetur, ne nimiae sint paucorum opes, & toti civitati metuendae.

4. Cavendum etiam, ne iniqua, aut parum civilia, cuivis ordini tribuantur jura, quibus caeteri omnes a republica summisque honoribus excludentur ; perpetuis enim seditionibus materiam praebebunt.

5. Quum parum referat qualis sit civitatis institutio, si modo solis prudentibus & bonis commissa sit potestas ; cui tamen rei nulla ratione satis caveri poterit ; hoc in civitate constituenda praecipuè erit spectandum, ut infidis & malis, quamvis potestatem adepti fuerint, nulla aut exigua ad peccandum sint invitamenta, aut saltem nullae impunitatis, aut commodi sui augendi

gendi ſpes, ubi perfidè rempub. adminiſtraverint.

6. Quis vero ad civitatem optimè conſtituendam hominum numerus potiſſimum requiratur, definiri nequit. Paucis neque vires neque opes ſuppetunt, quibus ſe contra praedonum manus defendant, aut ea comparent, quae ad uberiorem faciunt vitae ornatum aut jucunditatem. Ubi contra, magnus eſt numerus civium magnam regionem occupantium, non adeo accurate omnia procurari,aut a civibus fraudes,injuriae, & vexationes prohiberi poterunt: paucioribus praeterea patebit aditus ad rempublicam, ut virtutes latius patentes addiſcant atque exerceant, quam ſi ab his hominibus plures conſtitutae fuiſſent civitates. Ubi quidem hominibus non eſt integrum, ut ſe in civitates dividant commodiſſimas, ingentibus quibuſdam jam conſtitutis; vicinis omnibus forte profuerit, ſui contra nimias vicinorum opes defendendi gratia, in majores congregare civitates. Prout vero inter cives, ad paucorum nimias opes praecavendas, & potentiam caeteris metuendam, juſtae ſunt leges agrariae, eodem jurae civitates vicinae nimias unius opes merito habent ſuſpectas, cujus etiam mores cupiditate vincendi inflammantur; iiſque opibus augendis, per vim, ſi aliter fieri ne-

queat, modum ponunt, antequam tantae evaſerint ut libertati & ſaluti ſuae cautum eſſe nequeat.

IV. Monarchia ſimplex has habet opportunitates; civitatis concordiae conſulit: & per eam ſecretò & expeditè res geri poſſunt. In monarchia autem hereditaria, neque de prudentia, regis neque de fide caveri poterit. De electorum prudentia melius cavetur, non item de fide: & rege defuncto ſeditionibus bellisque civilibus janua patet. In haereditaria abſoluta ſive infinita, ſunt omnia incerta. In haereditaria terminata, non de prudentia, aſt melius multo cautum eſt de fide; quum rex leges eas quibus fundata erat civitas violando, aut poteſtatis ſibi commiſſae fines tranſiliendo, ſe planè tyrannum profiteatur; ipſiuſque perfidiâ regni jus omne abdicatum eſſe facile inter omnes conſtet. Unde etiam populo jus oritur, ut, eo deturbato, novum creare regem, aut novam Reipub. formam inſtituere liceat. Aſt in regnis terminatis & circumſcriptis, perpetuae ferè vigent factiones, & bella ſubinde naſcuntur civilia.

In ſimplicioribus ariſtocratiis hereditariis, de ſenatorum prudentia rarô, de fide nunquam ſatis cautum eſt; neque quidem de concordia, aut expedita & arcana Reipub.

pub. adminiſtratione. Inter ſenatores ad munus electos, melius de prudentia & fide; parum vero de concordia, aut negotiis celeriter & ſecreto gerendis, caveri poterit.

In concilio populari fides ſemper vigebit, & tum demum prudentia, ubi vel cenſui reſpondet ſuffragii jus, vel concilium ex paucis honeſtioribus a populo delegatis conſtat. Neque tamen inter hoſce ſperanda concordia, aut expedita & arcana Reipub. adminiſtratio.

In magno quovis concilio per tabellas optime feruntur ſuffragia; ſic enim non metuendae erunt potentiorum offenſiones, neque ſuffragia largitionibus corrumpere in promptu erit. Atque licet, pudore ſublato, locus ſit gratiae, odio, & invidiae; his rariùs, niſi ob juſtam cauſam, populi pars major incitabitur. Sin autem ſors, aliqua ex parte, immiſceatur, omnis excludi poterit largitio, gratiaeque, odio, aut invidiae graſſanti obſtruetur iter. Sola tamen ſorte res decidere graviores, aut magiſtratus, delegatoſve conſtituere, parum erit tutum; quum ſorti, quantumvis omni gratia & contumelia vacet, nulla ſit prudentia rerumve judicium.

V. RERUMPUB. formas ſimpliciores parum eſſe commodas, haec ſatis oſtendunt.

 dunt.

dunt. Neque antiquiſſima quaeque ſunt optima; ſic enim ad pelles, antra, glandeſque redire oporteret. Quod ab adulatoribus jactari ſolet, monarchiam primum in terris nomen imperii fuiſſe, monarchiae neutiquam eſt honorificum. Hoc enim eſt dicere, rudi eam & incauto popello placuiſſe, prudentioribus & cultioribus haud diu placituram. In nullo enimvero rerum genere minus ſperare licet prima quaeque opera perfecta fore & abſoluta, quam in civitatibus conſtituendis, ubi maxima opus eſt rerum notitia & prudentia, multa meditatione, vitaeque uſu diuturno & vario, comparanda. Quae formas quaſque ſimplices comitantur incommoda graviora, ad mixtas & multiplices confugiendum eſſe docent: mixtarum autem eam eſſe optimam, ubi tres artificioſe inter ſe compinguntur formae, monſtrant ſingularum ſeorſim haud leves opportunitates: quod & antiquorum graviſſimis placuit.

Concilio igitur populari, quod ex delegatis conſtat, cui nunquam fides, raro prudentia deeſſe poterit, maximae imperii partes committendae. Leges igitur ſanciat iſtud concilium, & de rebus ſtatuat graviſſimis. Per leges etiam agrarias, haud ita arctas tamen, ut induſtriae, modicaeve

dicaeve vitae elegantiae adverſentur, concilio iſti conſervanda eſt poteſtas.

Senatui item ex paucis, a populo electis, quorum in Reipub. negotiis diu ſpectata fuit prudentia & fides, permittatur, ut de legibus & Repub. diſceptent, & ad concilium populare referant; ita ut ſine ſenatus auctoritate nihil gravius fieri poſſit. In utroque concilio etiam, ita decedentibus ſuccedant homines novi, ſive ea legibus annalibus inſtituatur *rotatio*, ut neque concilia ex novis omnibus conſtent, neque cuiquam ſuffragii perpetuum jus ſit, aut poteſtas perpetua. In omnibns pariter magiſtratibus proſunt leges annales, ut caveatur ne quis nimiam ſibi comparet potentiam aut gratiam; utque plures eam uſu addiſcant prudentiam, eaſque artes quae Reipub. ſunt neceſſariae aut utiles; ne neceſſe ſit ut tota civitas unum tantum aut paucos ſpectet, ſpemque omnem in iis ſolis collocet. Ubi vigent iſtiuſmodi leges, reipub. non deerunt imperatorum, aut magiſtratuum officio functorum, prudentia & virtus. Neutiquam enim aegre ferent, quod pro legum ſanctarum praeſcripto, tempore definito munera deponant.

Ad ſubita autem & inopina pericula avertenda, atque ad negotia ſecretò & celeriter obeunda, neceſſaria eſt poteſtas

quaedam regia aut dictatoria, nullo tamen alio fundamento praeter ipsas leges innixa; cui permittendum belli arbitrium, legumque tutela & administratio. Arbitri etiam officio fungetur rex, si qua inter senatum & populum suboriatur contentio.

Magistratuum creandorum jus, tribus hisce potestatibus simul permittendum, aut inter eas dividendum: ut scil. quibus majore opus est prudentia, a senatu eligantur; quorum opera celeri & expeditiore opus fuerit, a rege; quique populi jura tueantur & conservent, a populo aut concilio populari creentur.

Profuerit etiam plurimum *censoriam* semper adesse potestatem, ut civium mores emendentur, omnesque flagitiosi & improbi, cujuscunque fuerint ordinis aut dignitatis civilis, de loco dimoveantur.

CAPUT VII.

De summi Imperii Jure, ejusque acquirendi rationibus.

QUI summo cum imperio sunt, iis ea est potestas, ea jura, quae primaria populi tribuerunt decreta. In omnibus quidem civitatibus eadem alicubi, saltem apud populum universum, sita est potestas. Quae tamen vel regi, vel concilio, vel utrique committitur potestas, in diversis civitatibus est diversissima. In quibusdam enim, quaedam populi jura, ab omni imperantium potestate eximuntur: in aliis omnia eorum prudentiae & fidei permittuntur. Quum tamen solus imperii finis, quod omnes agnoscunt, sit populi salus & foelicitas; quaecunque hinc aberrat potestas, ea est injusta; quam populus, qui temere eam donaverat, repetere aut abrogare poterit, quum id ipsius exegerit salus. Neque quicquam fingi potest perfidum magis aut fastuosum, quam si hi, quibus in populi salutem & utilitatem commissa erat potestas, eam licet populo

pulo pestiferam, sui causa, per vim retinere conentur.

Optandum quidem foret, ut potestas olim permissa, amicis potius disceptationibus, quam vi repetatur: neque ubi vel mediocriter communi consultum est saluti & prosperitati, ad vim & bella civilia, leviori aliqua de causa, decurrendum. Ast ubi haud satis de populi libertate & salute cautum esse constat, pluráque mala, ex ipsa imperii forma fore nascitura, eaque diuturniora, quam ex rerum commutatione violenta; tum demum & per extrema omnia, imperii formam modumque immutare licitum erit & honestum.

Quae de proprio rectorum civilium, praecipuè regum, jure divino, & sanctitate quadam inviolabili jactantur, mera sunt adulantium somnia. Divinum est jus omne quod Dei & naturae lege sancitur. Divina sunt populi pariter ac imperantium jura. Immo, quandoquidem haec in illorum tutelam sunt constituta, illa his sunt & graviora & sanctiora. Imperantis quidem jus, singulorum seorsim jure quovis gravius est; universorum verò neutiquam. Plurima civis privatus perferre patique debet iniqua, potius quam contra regem caetera aequum & reipub. utilem, quicquam hostile molietur; si modo sibi soli periculum immineat,

at. Aſt ubi communia omnium jura a rege peſſundantur; quaeque uni intentantur, aliis omnibus mox metuenda erunt; tum vero manifeſta regis perfidia, omneque imperii jus amiſſum.

II. POPULO jura ſua contra rectores quoſcunque per vim defendere licet. Si quidem ii quorum imperium eſt legibus circumſcriptum, ea invadant jura, quae populus in imperio deferendo ſibi retinuit & reſervavit; non dubium eſt quin populo jura ſua per vim defendere liceat. Quin & ad rectores, quorum imperium abſolutum eſt nulliſque legibus circumſcriptum, coercendos, vis recte adhibetur, ubi civili animo exuto dominatum occupare conantur, in ſuam libidinem aut utilitatem, communi ſpretâ, omnia convertentes; animumve in cives hoſtilem produnt; aut ita nequiter rempub. adminiſtrant, ut ne vel ſanctiſſima populi jura, quaeque ad vitam tolerabilem ſunt neceſſaria, tuta maneant. Neque qui hoc populo tribuit, dabit quoque eum regibus eſſe ſuperiorem: ſervis enim vel in deterrima conditione degentibus jus eſt, ut contra dominorum injurias atrociores ſe per vim defendant.

Si hìc moveatur quaeſtio, cujus hac in cauſa ſit judicium, numnam, qui ſummo imperio praeſunt, & rempub. male adminiſtrarunt,

niſtrarunt, ſua perfidia jus omne amiſerint. Si non populi, quod ipſius cauſa agatur; ob eandem cauſam, neque imperantis erit judicium. Ad aequos igitur decurrendum eſſet arbitros vel noſtrates, vel externos, ſi res ſineret: ſin minus, populi certe potius erit judicium, a quo magiſtratibus olim mandatum erat imperium, cujuſque negotia geruntur, cujus etiam gratia poteſtas omnis fuit conſtituta. De re fere quavis humanum eſt errare. Saepe de jure publico, ſaepe de privato ſui defendendi jure erratum eſt; non tamen ideo tollenda ſunt haec hominum jura, ſive privata ſive publica.

His quidem in rebus graviſſimis, cuncta cautiſſimè penſitanda; neque ob leviores imperantium injurias aut errores, quales in homines haud improbos aliquando cadere poſſunt, in bella civilia, omnium ſaepe ſaeviſſima, cives ſunt conjiciendi. Ubi vero alia ratione populus ſalvus eſſe nequit; & perfidis doloſiſque facinoribus, imperii jus omne amiſerunt imperantes, jure per vim regno exui poſſunt, aliis in eorum locum ſuffectis, aut nova imperii formâ conſtitutâ.

III. Tyranno exturbato, aut rege qui ad munus electus fuit extincto, ubi nihil de ſucceſſione eſt praeſtitutum, aut denique

denique ſtirpe regia extincta in regnis hereditariis, naſcitur *interregnum*. His in caſibus, quamvis nihil legibus publicis ſit cautum, non prorſus tollitur populi conjunctio civilis: primo enim, quod diximus, pacto obligantur omnes, ut communi conſilio communi proſpiciant ſaluti. Exiſtet aliquamdiu democratia quaedam, ubi plurium aut praeſtantiorum, qui reipub. negotia gerere ſolebant, ſuffragiis erit ſtatuendum, qualis in poſterum futura ſit reipub. forma, quibuſque deinceps permittendum imperium. Neque paucioribus, caeteris invitis, a civili vinculo licet eſſe immunibus; niſi plures planè iniquas & peſtiferas reipub. adminiſtrandae rationes ineant.

IV. Principibus quorum probitas fideſque ſatis eſt ſpectata, debetur pietas omnis & obſervantia; iique cum ſummo civium periculo, ſive contra caecos tumultus, ſive aperta bella, ſunt defendendi; neque culpis eorum aut vitiis levioribus, qualia aliquando in viros minime malos cadere poſſunt, cives ab ea obligatione exſolvuntur. Aſt ſi hoc incidat ut devincantur & a dignitate deturbentur, vel ab imperii competitoribus, vel hoſtibus externis, ita ut nulla ſpes ſit reliqua, eos jus ſuum antiquum recuperare poſſe; principum eſt regumve de

jure

jure ſuo ultro cedere; immo id omne pro extincto eſt habendum: quum omnis inter imperantes & populum obligatio ſit mutua, mutuiſque officiis conſervanda: quae quum ab altera parte praeſtari nequeunt, nulla alteri ſunt praeſtanda. Jure igitur, omnibus prius tentatis, populus ſe victori ſubmittet, quum ſuae ſaluti aliter conſulere nequeat. Mirae quidem foret arrogantiae, ſi quis ſuae dignitatis aut utilitatis cauſa, totam civitatem & populum peſſundatum velit & laniatum.

Neque motibus civilibus belliſve fovendis apta eſt haec, de ſancto populi jure, ſe contra tyrannos defendendi, doctrina. Immo contrariis ferè dogmatis haec mala praecipue imputanda. Nimia fere ſemper fuit populi patientia, & inepta imperantium veneratio; quae tot civitatum monſtra, aut potius miſeros & abjectos ſervorum greges, ſub dominis ſaeviſſimis & nequiſſimis, jura omnia divina & humana impudenter miſcentibus, per terrarum orbem pepererunt.

V. Quemadmodum naturalis libertas eſt jus pro ſua cujuſque voluntate agendi, intra legum naturalium limites, (quae nulla foret ſi nullae eſſent leges, hanc libertatem caeteraque jura cuique munientes;) ſic dicimus populum eſſe liberum, quum non ad alterius praeſcriptum, ſed ad ſuum arbitrium

um, intra legum civilium fines, cuique permissa est agendi facultas. Non igitur leges libertati repugnant, sed acerba aut morosa hominum imperia. Liber Romanis dicebatur populus, ubi concilio populari imperii summa erat permissa, & parendi, imperandique vices obtinebant.

VI. Vix alia ratione quam populi decreto voluntario, potestatem civilem jure constitui posse, satis jam dictum; neque imperatores aliam habere sanctitatem aut majestatem, quam quae hinc oritur, quod hominum multitudo jura, quisque sua, uni homini, aut concilio permiserat administranda. Ex quadam libertatis naturalis parte, a singulis ad imperantem translata, aut ex singulorum dominio eidem aliquatenus subjecto, nascitur legum condendarum potestas. In libertate, quisque vitae necisque jus hactenus in se habebat, ut officia honesta quantocunque cum periculo suscipere posset: aut cum communis hoc postularet utilitas, aliis se dirigendum in his officiis obeundis permittere. In libertate etiam, inter hominum jura erat, ut eum qui ipsis injuriam intentaverat aut fecerat, summis coercerent suppliciis; communique innocuorum saluti, si ita facto opus esset, ejusdem caede prospicerent. Hinc oritur omnis jurisdictio, quae *criminalis* dicitur.

Neque ad potestatem aliquam a Deo proxime derivatam, ad haec aut alia majestatis jura explicanda, decurrendum.

VII. Neque una reipub. forma prae caeteris, alia de causa, divina est habenda, quam quod eâ optimè communi consulatur prosperitati; quod in monarchiis infinitis & haereditariis minime contingit. Quid; quod nulla lege divina, naturali aut positiva, monstratur succedendi ratio; num scil. satis sit successio quaevis haereditaria, eaque vel agnationis, vel cognationis Jure; an contra exigatur *linealis*. De re familiari ad cognatos transmittenda, non leves sunt juris naturalis obscuritates; licet, re generaliter spectata, manifestum sit, bona in familiae aut gentis utilitatem acquisita, sanguinis sequi debere conjunctionem. Quod vero ad imperia attinet, (non in unius familiae dignitatem, sed in populi universi utilitatem destinata,) nulla subest causa, cur in iis deferendis spectetur sanguinis conjunctio; multo minus cur linealis admittatur successio qualiscunque. Ex legibus humanis aut populi scitis, saepe temerariis & incautis, haec omnia nascuntur.

VIII. Illud autem jus, vulgo jactatum, quo in populum devictum imperium civile sibi arrogat victor, non meliore plerumque innititur fundamento, quam quod latro-

latronibus ac praedonibus maritimis arrogatur. Nam primo qui justam bellandi causam non habuit, nihil quicquam ullo jure capit aut detinet. (2.) Deinde, fingatur causa vel justissima, certi tamen, ut ante dictum, sunt petendi fines: neque contra hostes quicquam jure aget victor, quod neque ad injuriam avertendam, neque ad damnum reparandum, neque ad injurias in posterum praecavendas, necessarium est aut utile: si quid amplius exegerit; justitiae fines transit. Ad injuriam vero avertendam, aut damnum pensandum, nunquam necessarium est aut utile, ut civitati & populo victo, in provinciam redacto, adimatur libertas publica & majestas. Immo communi plerumque repugnat utilitati, ut civitates opes suas sic augeant, potentiamque adipiscantur vicinis metuendam. Diu plerumque antequam debellatur civitas, victorique subjicitur, repellitur omnis injuria, damnumque cumulatissime pensatur. Compensationem, fere semper sibi prius arripiunt victores, ex rebus hostium mobilibus, quam eorundam penitus devincatur civitas. Hac ratione damnum lubentes praestarent hostes devicti, vel si opus sit, stipendium quotannis penderent (quibus certè omnia damna cumulatissime re-

parari possunt) potius quam, amissa patriae civitatis libertate, exteris se subjicerent.

Quod ad cautionem attinet. Quibus, ab injuriis a civitate devicta, haud tamen exhausta, in posterum inferendis, satis cautum est, iis multo magis, a civitate exhausta & tantum non deleta cautum fuerit. A civitate autem opibus valente satis cautum est, traditis obsidibus, navibusve armatis, vel oppidis in confinio munitis; vel victoris praesidiis in urbes munitas acceptis. Immo saepe sufficit quod earum urbium munimenta diruantur. Neque ulla est civitas devicta, quin omnia haec lubens praestaret, potius quam vicinae civitati provincia fieret.

IX. Si quid poenae nomine, ad omnes ab injuriis deterrendos, sit exigendum, id a solis delinquentibus exigi debet. Populi vero devicti pars longe maxima, nullo crimine est obligata, quum a rectoribus suis ciebantur bella maxime nefaria. A victis igitur hoc solum jure exigere potest victor, ut rectores suos injustos aut dedant aut defendere desinant, ut de illis poenas factis dignas sumat. At propter ea quae injustè aut inhumaniter in bello fiunt publico, poenas exigere vetat communis utilitas. In civitate semper spes est, magistratus, viribus suis legumque auctoritate sublevatos

levatos, poenas de civibus crimine obſtrictos ſumere poſſe: At civitatum bella gerentium vires, per ſocios & foederatos, ita plerumque ſunt aequales, ut anceps ſit belli fortuna; quibusque cauſae ſunt juſtiſſimae, exitus tamen ſit incertus. Ab omni igitur in devictos ſaevitia abſtinendum, ne ad hoſtes exemplum transferatur, qui cauſam injuſtam tuentur, quae ipſis juſta videtur. Neque ideo quod cauſam ſuam juſtam putant victores, legem ſaevam, contra ſe forte aut ſuos poſtea valituram, ſanciant.

Neque credibile eſt ullam conventionem tacitam inter civitates diſſidentes interceſſiſſe, ut ibi imperium foret unde victoria fuerit. Contraria omnia palam teſtatur qui bellum movet, niſi ubi diſertis verbis iſtiuſmodi pactum fuit initum. Ipſo bello, ſe omni ratione, jura ſua defenſurum aut perſecuturum, ſignificat & denunciat: neque populus, quamvis debellatus, qui novis ſociis aut opibus adſcitis bellum renovaverit, fidem violaſſe cenſetur. Quid; quod nemo dixerit, eum, cui cauſa ſua videtur juſta, tali legi conſenſiſſe: atqui ſine hujus conſenſu, alterius partis interveniſſe conſenſum, colligi nequit. Hi denique victorum fautores, ſolos imperantes conſenſiſſe volunt: quo vero jure hi, quorum in tutelam permittitur populus, populi jura omnia,

vel abſolutè, vel ſub conditione, alienare poſſunt? Finge iſtud diſertis verbis pactum fuiſſe; ob id ipſum, homines illi perfidi & audaces, omne imperandi jus amiſerunt; neque quae ab iis tranſiguntur civitatem obligare poſſunt.

X. QUUM igitur ſcriptores fere omnes, qui regna quaedam *patrimonialia* eſſe contendunt, quae regis arbitrio alienari, aut dividi poſſunt, ea ex ſola ferè victoria profecta ſtatuant; nullo jure ea arrogari, ex dictis ſatis conſtat. Quinetiam, ſi forte accidat ut populus aliquis, ab ſaevis hoſtibus ingruentibus perterritus, populo potentiori ſe ſuaque omnia dedat, ſolum hoc ſtipulatus, ut contra calamitatem imminentem protegatur; nihilo magis ea pactione regnum patrimoniale conſtituitur. Ne quid enim de metus exceptione dicatur, aut quod pactum iſtud plane onerofum, ſit tamen inaequale; ex ipſo pacto patet quod colligi nequeat, tale quicquam fuiſſe factum. Quippe, qui ſe civitati excultae, humanae, imperiumque lene exercenti dedunt, minimè cenſeri poterunt conſenſiſſe, ut & alteri cuivis vel regi vel populo barbaro ſubjiciantur, aut ſaeviore regantur imperio, quam exercebant illi cui ſe dediderunt. Si quid vero iſtiuſmodi moliatur haec civitas dominans, jure ſibi jugum excutient qui longè alia lege

ge se isti subjecerunt. Ad arbitros provocare licet & dedititiis, si quid crudelius ipsis sit impositum, ultra quod salutis & defensionis pretium jure exigi poterat.

Neque ex populi devicti pacto aut promisso, quod vis minax extorserat, victori jus imperii nascitur. Eam enim vim esse injustam satis ostendimus. Sin verò a victore, aequa reipub. forma, populo devicto constituatur, qua satis ipsius conservantur jura, quaeque communem tuetur prosperitatem; ita ut populus, post periculum factum, ei formae se submittere non recuset; ex hoc consensu imperii jus oriri, quodque praecesserat vitium purgari, poterit.

XI. Quum insuper nullis causis naturalibus, ast solo populi decreto innitatur cujusvis ex regia sobole aut gente jus, ut regi defuncto succedat; decreti hujus verba eodem modo sunt interpretanda, quo in caeteris legibus de successionibus haereditariis: eaque censenda est hac de re fuisse populi voluntas, quae verbis iisdem aliis de rebus declaratur. Ubi igitur, in aliis bonis haereditariis, aliquis delicto suo, jus aliquod, non solum pro se, verum etiam pro liberis & cognatis amittit, idem etiam de imperii jure haereditario est censendum. Rei quidem familiaris dissimilis est ratio. Ea familiae alendae & amplificandae gra-

tia

tia acquiſita fuit: unde, liberi, & ſaepe cognati, jure poſtulant ut ex re familiari alantur & amplificentur: durumque eſt & iniquum, ut unius delictum immerentibus noceat, bonaque, quae naturae lege iis rediiſſent, intervertat. De imperii jure omnia alia dicenda; quod neutiquam ob regiam ſtirpem, aut ob aliquid quod ipſi regi, ejuſve ſoboli debebatur; aſt ipſius civitatis gratia, utque praecaveantur mala ex novorum regum creationibus ſubinde metuenda, conſtitutum fuit. Potiore igitur jure in *cauſam commiſſi* cadunt regna hereditaria, quam privatorum hereditates.

Ut igitur populus ſuo jure perfidum regem de ſolio deturbat; potiore certè jure praecavere poteſt, ne quis ſuccedat qui reipub. adminiſtrandae eſt ineptus; qui ea ſovet dogmata, quae ſanctiſſima populi jura peſſundare eum permovebunt, quum primum poteſtatem fuerit adeptus; qui inſana quadam ſuperſtitione percitus, ſummae poteſtatis partes haud leves, ad regem quendam exterum, ſub falſo pontificis nomine, transferet; ſimulque ſe jure divino munitum credit, quo fretus omnia civitatis jura audaciſſime perrumpet, omneſque imperii ſibi permiſſi limites tranſiliet, ſeque officio defuturum exiſtimabit, niſi cives ſummornm cruciatuum metu cogat, ut dogmata

dogmata abſnrdiſſima credant, vel ſaltem credere ſimulent; cultumque Deo praeſtent quem nefarium putant. Qui, regni heres, talia profitetur dogmata, potiore jure excluditur, quam qui plane fatuus eſt aut inſanus: quum iſtiuſmodi dogmata populo libero magis ſint pernicioſa, quam ulla regis fatuitas aut inſania.

XII. QUÆ de regibus diximus, de cunctis tenent civitatum rectoribus, atque de populi ipſius in provincias aut colonias imperio. Si qui cives, populi aut magiſtratuum permiſſu, e civitate ſuis ſumptibus migrent, novas ſibi ſedes quaeſituri; illi ſociam civitatem ſibi jure conſtituunt. Qui publicis impenſis ea mittuntur lege, ut in modum coloniae, ſub civitatis ditione maneant, ad ejuſdem potentiam aut opes augendas, haud aequum eſt ut eorum quam civium caeterorum deterior ſit conditio. Jura omnia illis conceſſa, ſunt religioſe conſervanda. Si quid durius in colonos patria civitas ſtatuerit, ipſique ſibi ſatis per ſe proſpicere poſſint; aut ſi tyrannide oppreſſa ſit civitas, ipſiuſve forma in deteriora omnia immutata; hoc jure ſibi arrogabunt coloni, ut ſui ſint in poſterum juris, ſociae civitatis officia praeſtare parati. Neque pacta, in quibus contrahendis, de iis quae in iſtiuſmodi negotiis

tiis praecipuè ſpectari ſolent, erratum eſt, magnum hominum numerum, civitati beatae conſtituendae idoneum, ad ea ſubeunda adſtringunt, quae ipſorum proſperitati & ſaluti adverſantur. Neque quicquam graviora in hominum vitam mala invexit, quam vana & inſolens, ſive regum ſive populorum, cupiditas, imperii ſui fines porrigendi, alioſque populos in ſuam ditionem redigendi, dum neque ſuae neque eorum foelicitati prudenter conſulunt. Hinc ingentia & immania exſurrexerunt imperia, vicinis omnibus gravia & peſtifera, & brevi, cum miſera hominum ſtrage ruitura.

CAPUT VIII.

De Legibus condendis, & de Juriſdictione.

Inter imperii jura *immanentia*, eſt legum jubendarum & adminiſtrandarum poteſtas. Omnis lex aliquam civitatis utilitatem ſpectare debet, legibuſque ea omnia ſancienda quae communi inſerviunt proſperitati, quantum penes homines

nes eſt eam procurare aut augere. Si quidem in ipſa imperii conſtitutione, ea tantummodo poteſtas rectoribus permiſſa fuerit, quae in rebus externis tuendis verſatur; illi de civium animis virtute colendis, aut de cultu religioſo nihil ſtatuere poterunt. Aſt ubi eorum arbitratui conceduntur certi reditus, in communem utilitatem impendendi, aut ubi plena reipublicae adminiſtratio ipſis eſt permiſſa; quum ex hominum virtute pendeat praecipuè eorum foelicitas; hoc illis qui reipub. praeſunt imprimis curae eſſe debet, ut diſciplina & inſtitutione, primis ab annis, imbuantur civium animi iis ſententiis & moribus, quibus ad omnia virtutis officia reddantur paratiores.

Cuique tamen conſervandum jus illud ſanctiſſimum ſuo utendi judicio; cui aperte repugnant leges omnes poenaeque latae de hominum ſententiis, ſive celatis, ſive palam factis, ſi modo civium moribus non ſint peſtiferae. Immo etſi iſtiuſmodi dogmata ab iis divulgentur, qui ad ea divulganda religione ſe putant adſtrictos; ſatius eſt plerumque, cautione de non laedendo, officiiſque civilibus praeſtandis, a caeteris exactâ, in ea tantum facinora gravius animadvertere, quae religione maleſuada perciti admiſerunt, quam poe-

nas

nas ob ipſas ſententias divulgatas irrogare. Iſtiuſmodi dogmata pleraque, melius ſaniorum hominum prudentiae explodenda permittuntur.

Quum tamen in civitate omni, civium pars longe maxima ſuo judicio ſtrenue uti nolit; aſt plurimi, ſpecioſa decepti pietatis aut acrioris judicii oſtentatione, quam prae ſe ferre ſolent homines quidam aſtuti & vafri, his ſe temerè tradant ducendos; eorum eſt qui reipub. praeſunt cavere, ut conſtituantur viri graves & docti, qui ſententias omnes ſaniores, & de religione & officiis civilibus, populum doceant, eaſque uberius & fuſius illuſtrent, rationibuſque & argumentis confirment, ne malis aliorum artibus ab officiis honeſtis detorqueatur. Et, ſi modo vel mediocris adſit principibus viris prudentia, neque abſurda plane aut inhumana foveant dogmata, populum, ejuſve ſaltem partem longe maximam, habebunt flexibilem, ut quocunque duxerint ſequutura ſit: ita ut nihil a diverſis paucorum ſententiis ſit metuendum.

Ubi exigitur ut populus ſacrorum ritibus, aut dogmatis, vanis, falſis & ſtoldis, aut inutilibus, quantumvis veris, aſſentiant, & diſſentientibus irrogantur poenae; gravis plerumque pernicies civitati oritur: quum

quum, ut diverſiſſima ſunt hominum ingenia, in his praecipuè rebus, ad ſententias diverſiſſimas ſemper ſunt proclives. Cives vel optimi his de cauſis vexati civitatem deſerent; ſeditionibus diſcordiiſque permiſcebuntur omnia; atque ab officiis civilibus, artibuſque reipub. profuturis, ad nugas ſaepe ineptiaſque civium animi avocabuntur. Ob ſententias igitur de religione, quantumvis falſas, aut ſacrorum ritus quoſlibet, dummodo nemini noceant, cives boni haud vexandi, ullove civium jure excludendi.

II. Ad virtutem omnem in civitate fovendam praecipuè conducunt imperatorum exempla; a quibus ſi probi ſoli, morumque integritate ſpectati, ad honores evehantur, ardentiora accendentur omnis honeſtatis ſtudia. Virtutis ſpeciem populus favore nunquam non proſequitur. A populo verè libero ſoli ferè morum probitate inſignes ad honores provehentur; praecipuè ſi, ſecundum leges annales, brevi ipſis munera ſint deponenda. Qualis eſt ipſe rex, qui a rege creantur ſunt futuri.

Poſt pietatem erga Deum, in qua ſita eſt ſumma cujuſque foelicitas, quaeque ad alias omnes virtutes fovendas plurimum confert, virtutes in civitate precipuè

colendae ſunt temperantia, juſtitia, fortitudo, & diligentia.

Temperantiam, qua non ſolum libidines corporis voluptatem reſpicientes cohibentur, verum omnis luxuria, ſumptuſque nimii in vitae ornatum & ſplendorem erogandi, civitati neceſſariam eſſe fatebuntur omnes, quibus ipſius natura eſt perſpecta. Certus eſt voluptatis modus, & gratus & innocuus, a Deo & natura conceſſus, cui fruendae ipſa plurima benigniſſime machinata eſt. Neque damnandus eſt voluptatum uſus, ſi modo nulli officio adverſentur, neque ad hominum mentes ita effoeminandas aut depravandas pertineant, ut abſentium voluptatum deſiderio crucientur, aut vitae officia deſerant, iiſve voluptates anteponant. Luxuria igitur eſt "voluptatum appetitio nimia, quae officio "adverſatur." Neque voluptatum modus definiri poteſt, niſi & facultatum, & neceſſitudinum, & officiorum, & valetudinis habeatur ratio. Luxuria autem, quum facultatum ſit prodiga, hominesque rerum plurimarum indigentes & avidos, atque ad officia quae patriae aut amicis debentur relinquenda, quum voluptati repugnant, proclives reddat; cives etiam ad patriam vel tyranno vel hoſti prodendam incitabit, ſi modo ea ratione opes in luxum

luxum impendendas sibi comparare possint. Luxuriosis etenim omnia venalia.

Neque dixeris luxuriam ad artes & opificia fovenda vel necessariam vel utilem. Enimvero sine ulla luxurie foveri possunt artes omnes aut necessariae aut elegantiores. Opulentioribus sine crimine coemere licet opera quaevis artificiosa & elegantiora, quatenus sinit officiorum & necessitudinum ratio. Quique, pro sua benignitate, plurimas sibi negant voluptates, iidem eas ipsas, aut alias saltem civitati pariter profuturas, soboli, cognatis, amicis, fruendas plerumque largiuntur. Hi igitur una cum amicis, opificibus magis prosunt quam luxuriosi.

Quid, quod & sobrius quisque & providus, diuturna in vita & copiosa, plura fere consumat quam prodigus, qui plurium annorum morbis & inediâ, brevis luxuriae poenas pendit. Quumque mores superiorum imitari soleant inferiores, cito ad infimos, ipsosque opifices, descendet haec pestis; quorum operae igitur cariùs erunt emundae: merces igitur, pretio aucto, exteri non sunt coempturi, quum vilius veneant quae in civitatibus aliis, ubi viget sobrietas & temperantia, conficiuntur.

III. DE diligentia & industria fovenda vix dicere attinet, quum ab ea ferè sola

civitatis cujufque opes pendeant & potentia. Fovenda eft agricultura, ne quid ad populum alendum, de civitatis opibus decedat; utque fruges fuppetant & frumentum exteris vendendum, noftratibufque materies omnis, in qua elaborent opifices; quae, alioqui ab exteris effet emenda. Fovendae pariter omnes artes & fimpliciores & elegantiores, ne exterorum operis & opificiis emendis civitatis opes dilabantur. Exercenda etiam mercaturà, & pifcatus, ubi ejufdem eft copia. Quin & mercibus, five noftris five alienis, vehendis, conftruendae funt naves, artefque nauticae addifcendae, quae & divitiis augendis inferviunt, & civitati in bello protegendae, Neque artibus hifce fuus deeffe debet honos, ita ut honeftiore loco natis non prorfus indignae cenfeantur.

IV. Justitiam civitati neceffariam effe nemo negat. Ubi enim non vigent leges & judicia, (fine quibus, quae vel natura tribuit vel induftria, nemini funt tuta,) omnes ab induftria deterrentur. Quin etiam quum mercium omnium, pro mercatorum periculis, augeantur pretia; ubi non viget juftitia, quae damna dant emptores fraudulenti, ea mercium pretio funt reparanda; eifque onerabuntur emptores probi & candidi. Quaevis igitur gens vicina, ubi

ubi conservatur rerum contractarum fides, similes merces viliùs vendere poterit. Civitas igitur ubi impunitae sunt fraudes fallaciaeque, praecipua ex commerciis & opificiis emolumenta est amissura.

De judiciis legibusque interpretandis longum esset dicere. Hoc tantum monemus, legibus paucis & simplicioribus cives satis protegi posse, si modo ita constituantur judicia, ut solis probis & aequis, fideique spectatae judicibus, lites dijudicandae permittantur. Multum etiam profuerit si calumniatoribus & temerè litigantibus poenae graviores irrogentur. Antiquiores Romanorum leges exempla exhibent aliis civitatibus imitanda.

V. VIRTUTES artesque bellicae sunt civibus quibuslibet honestioribus dignissimae. Nulli igitur militiae munus perpetuum esse debet, omnibus vero per vices obeundum. Quamvis autem ubi in perpetuam militiam conscribuntnr hi ferè soli, qui aliis muneribus sunt inutiles, nebulones, civitatis purgamenta, quicunque aliquot stipendia meruit, pacis artibus exercendis parum idoneus reddatur; aliter se res haberet, si per vices haec munera civibus optimis essent obeunda. Quae res maximas praeterea haberet opportunitates: rerum militarium scientiam haberent omnes: deleto uno

exercitu non deficeret alter: deletis imperatoribus, plures praestò essent ei muneri aptissimi; populi armati armisque assueti jura, non facile pessundaret vel civis ambitiosus & audax, vel hostis.

VI. Legibus atque ipsa reipub. forma cavendum est, ne qui cives vel inter se, vel cum exteris, sive regibus sive sacerdotibus, arctius quam cum patria conjungantur; neve aliunde spes habeant majores. Civesque ab eorum errore abducendi, qui pacta, a majoribus scelerata fraude deceptis inita, contra patriae salutem & prosperitatem valere credunt. Ad veram enim religionem conservandam, neque necessarium est neque utile, sarcedotibus imperia civilia qualiacunque permittere; multo minus ut omnes ubique gentium sacerdotes, una regantur potestate, quae in pluribus civitatibus honores & dignitates, immo opes ingentes, & proventus fere regios largiri possit; & cui in plurimis rebus gravioribus, ad opes potentiamque pertinentibus, ultimum permittatur judicium.

VII. Legibus civilibus sancienda & confirmanda praecipue juris naturalis praecepta; & de negotiis & actionibus formulae constituendae, ad fraudes praecavendas aptissimae. In rebus suis gerendis ipsisque opificiis, docendus est populus; eaque

que omnia definienda quae lege naturali non satis definiuntur.

Ex legum civilium systemate vel optimo, quibusdam nasci solent jura quaedam externa, quae impunè, licet parum honestè, persequi possunt: neque iis vis, aut actio in foro, recte opponi poterit. Sanctissima etiam officia plurima cujusque pudori permittenda. Sunt & legum beneficia quaedam ejusmodi, ut quamvis iis uti nollet vir bonus, petenti tamen haud recte negari poterunt. Quae quidem pactiones aut testamenta legibus civilibus non confirmantur, quoniam absunt praescriptae formulae, ea vir bonus saepe rata habebit, si modo neque testatoris aut paciscentis potestatem excesserint, neque quicquam iniqui aut inhumani contineant. Si vero in horum altero erratum fuerit, legum beneficio jure uti poterit.

VIII. Leges praemiis & poenis sanciuntur. Omni civium jure & beneficiis frui, legum civilium commune est praemium; quibusdam propria sunt praemia, honores, dignitates, divitiae. Honor naturalis est "aliorum bona de nobis ob praestantiam "nostram opinio." Honores civiles sunt, "ea cultus & observantiae, indicia quae "viris claris ex legum praescripto exhi-"bentur."

Existimatio

Existimatio simplex, sive "viri innocui "& hominum societati non indigni, fama," nemini a reipub. rectoribus, causà indictâ est eripienda. Existimatio eximia, quae a quibusdam *intensiva* dicitur, a nemine jure pleno exigi potest. Nemo enim ad alterius voluntatem judicare, aut magni eos aestimare potest, in quibus non cernit virtutes eximias. De externis vero honoris indiciis, ut de omni jure quae res externas spectat, eorum est definire qui reipub. praesunt: qui si justis tantum de causis honores largiantur, magni apud omnes sapientes erunt honores civiles: sin saepius aliter fiat, viles erunt & despiciundi, solâque simulatione aut sannis excipiendi. Quales saepe conspiciuntur honores haereditarii, ubi nulla est potestas censoria.

IX. Proprie verèque huc spectant omnes poenae, ut improbis earum metu ab injuriis absterritis, caeteri tutò vitam degant: *castigatio*, ipsius qui delictum admiserat utilitatem spectat; & *damni reparatio*, laesi: quae etiam nullo antecedente delicto, jure nonnunquam exigitur.

Non ex odio aut ira, neque ex ea indignatione quam in proborum animis excitat delicti turpitudo, poenae praecipue irrogandae; ast ex communis potius utilitatis conservandae studio, & innocuorum curâ. Unica

nica igitur poenarum menſura non eſt ipſa delicti turpitudo, ſed communis potius omnium utilitas ex poenis oritura. Impunita igitur & inulta recte manent delicta quaedam turpiſſima. Contra ea, ſi aliter ſalva nequit eſſe civitas, gravioribus rectè coercentur ſuppliciis, quae non adeo magnam ingenii pravitatem produnt. Ingratis aut inhumanis, nulla irrogatur poena : ſeverius puniuntur qui majeſtatis crimen, licet ſub fallaci juris ſpecie, admiſerunt. Ob utrumque ſeverius animadvertendum in eos qui poteſtate ſibi permiſſa perfidioſe abutentes, cives ſuos vexant & ſpoliant.

Quamvis neceſſe non ſit primos voluntatis motus improbos poenis coercere; quales nonnunquam in bonorum animis ſubitò exiſtunt, quoſque ipſi ultro mox ſunt repreſſuri; qui tamen in externos proruperunt actus iſtiuſmodi, qui caſu tantummodo, aut per aliorum vim & ſolertiam, irriti fuerunt, quibuſque capitale oſtenditur odium, & laedendi conſilium, ſummis illi ſunt coercendi ſuppliciis. Exigit tamen nonnunquam communis utilitas, ut facinoribus parum honeſtis ſit praemium, utque nefariis ignoſcatur.

Damnanda in judiciis eſt προσωποληψια, quae eas reſpicit ſontium neceſſitudines, aut facinorum adjuncta & qualitates, quae

neque

neque delicti turpitudinem, neque poenae sensum, communemve utilitatem respiciunt. Quae enim vel hominum vel facinorum adjuncta aut qualitates, horum quodvis afficiunt, ea omnino spectanda. Unde, caeteris paribus, pro reorum censu, augendae sunt poenae pecuniariae; & pro corporis robore, poenae quae corpore luuntur: poenae, contra, cum infamia conjunctae, pro majore reorum dignitate sunt imminuendae.

Non tamen, pro majore delictorum atrocitate, sine fine augenda sunt supplicia & cruciatus. Ex crebris enim cruciatuum saeviorum spectaculis, imminui solet apud cives morum mansuetudo, saeviusque nascitur ingenium.

X. OB delictum alienum nemo poenis est obnoxius: neque ob patris familias delictum recte publicatur tota res familiaris: ex ea prius praestanda omnia, quae jure suo, naturâ pactove constituto, postulare possunt conjux, & liberi, aut alii innoxii. Neque ob ullum delictum poena universitati recte irrogatur. Puniendi soli qui deliquerunt, sive privati, sive universitatis rectores. Ipsi quidem universitati aliquando recte adimuntur, ea sive jura, sive propugnacula aut arma, quibus ad nocendum fuerat instructa, si aliter de non laedendo

dendo cautum esse nequeat. Ad damnum ex bonis publicis praestandum nonnunquam tenebitur universitas, aut, ubi illa desunt, ex privatorum bonis; quum quae singuli, suae utilitatis causa adsciverant sibi praesidia, aliis evadunt damnosa.

XI. LEGES per quas imponuntur tributa, nisi majora sint quam sumptus quos civitatis tutela exigit, justissimo innituntur fundamento; quum populi totius negotiis expediundis erogentur. Eae igitur leges non sine furti crimine a civibus violantur. Neque haec injuria tam rectoribus ipsis obest, quam civibus aliis magis probis, qui quod defuerit supplere adiguntur, aliisque, ea de causa, damnis premuntur & oneribus. Tributa autem, nisi instituto civium censu, aequa ratione imponi nequeunt.

XII. CIVIUM adversum rectores suos haec sunt officia: imprimis, rectorum justis & legibus & imperiis parere tenentur idque sanctissimè.

2. Deinde, quum quod imperatum est in imperantis continebatur potestate, civibus plerumque parendum, quamvis non satis honestè & prudenter imperatum judicent: quod in bellicis praecipuè patet imperiis. Si enim civibus permittatur de imperiis judicium, neque ipsis parendum foret,

foret, quoties mandata civitati parum commoda viderentur; tolleretur omnis disciplina militaris, & in multitudinem solutam & inconditam converteretur exercitus.

3. Hinc etiam efficitur, quod in iis rebus quae imperantium arbitrio permittuntur, cives rectè, immo honestè, ea imperia exequi possunt quae imperatoribus summo vertenda sunt vitio; quum, ruptis disciplinae vinculis, mala multo graviora plerumque sunt metuenda, quam quae ex imperatis essent oritura.

4. Sin autem adeo nefaria & pestifera videantur imperia, ut gravior inde civitati oritura sit pernicies, quam si penitus evertatur imperatorum potestas; rectè imperia detrectabunt cives: cavendum tamen ne temere iis de rebus judicent.

5. Ubi aliquid imperatur quo divini Numinis majestas impiè laeditur, quove violantur hominum immerentium jura perfecta, aut quod imperantis potestati non erat permissum; imperium istud neminem obligat: immo saepe honestissimum est, quaevis potius perferre supplicia, quam, exemplo perniciem in totam civitatem trahente, istiusmodi parere imperiis. Quo jure imperantibus vim aliquando opponere possunt cives, satis antea dictum.

Communia civium officia, ex conjuncti-
onis

onis civilis indole & causis: singulorum propria, ex ipsorum statu, conditione, & muneribus susceptis satis innotescunt.

CAPUT IX.

De Jure Belli.

Belli, pacis, & foederum jura dicuntur *transeuntia*, quia exteros ferè spectant. Belli jura praecipua, in superiore libro satis explicavimus, ubi de privatorum bellis agebamus, monstratis eorum causis & terminis. Quae fere omnia conveniunt bellis civitatum, quae libertatis statum inter se conservant, qualem inter homines singulos ipsa natura constituit.

Bellorum publicorum minus solemnium perfacilis est cognitio, ex magistratuum jure, antea explicato, quo cives reprimunt tumultuantes, eoque civium jure, quod contra eos vicissim qui summo imperio praesunt tueri possunt. "Bellum eorum jussu "quibus summa est potestas utrinque sus-"ceptum," dicitur *solemne*, sive *justum*. Neque semper necessarium est ut publicè indicatur aut denuncietur ; quod tamen po-

pulo cultiore ſaepe dignum eſt, neque ſine cauſa omittendum. Ab eo qui ſe contra vim defendit illatam haud neceſſariò prius bellum indicitur, neque quidem ſemper ab eo qui vim infert: quoties ſcil. res ſubito eſt gerenda, neque bellum prius indici poterat, niſi omitteretur rei bene gerendae occaſio commodiſſima.

Qui viri graves & docti bellum neceſſario prius indicendum ſtatuerunt, jus Romanorum foeciale temerè ſecuti ſunt. Quum autem per vim decertare praeter naturam ſit; viro bono indignum eſt ut ad id confugiat, niſi cauſis, quum primum tutô fieri poteſt, palam indicatis; ut, eum non alia ratione jura ſua tueri aut perſequi potuiſſe omnes ſciant.

In bellis civilibus, quae ſaepe ſpecioſis de cauſis utrinque ſuſcipiuntur, eodem favore utramque partem proſequi debent vicini omnes, quo illos quos inter bellum ſolemne geritur. Quum in bellis civilibus, ab altera parte non minus juſtae, ab altera, ſpecioſae, ſint belli cauſae, quam quae in bellis ſolemnibus. Neque qui ſpecioſa de cauſa bella civilia movet, ullo hominum jure ſe abdicaſſe cenſendus eſt.

II. BELLI jura vel eos inter quos bellum geritur, vel vicinos neutri parti ſe adjungentes ſpectant. " Quae recta ratione

mon-

"monſtrantur, in communem utilitatem "neceſſariò eſſe obſervanda," ea dicuntur *juris* eſſe *publici & neceſſarii*: "quae vero in morem vetuſtas gentium approbatione perduxit," ita tamen ut aliis atque aliis moribus mutari, aut ſignificatione prius facta confeſtim tolli poſſint, ea ſunt *juris gentium voluntarii.*

Belli cauſas antea diximus. Hoc ſolum de civitatibus monendum, quod quemadmodum inter cives, *damni infecti* datur actio, nimiaeque paucorum opes, quamvis eas ſine injuria congerere velint, legibus tamen agrariis prohibentur: ſic juſta aliquando erit belli cauſa, nimia vicinae civitatis potentia, indies magis magiſque gliſcens; praecipue ubi animum oſtendunt cives laudis bellicae nimis avidum, atque a pacis artibus alienum: ita ut vicinis vitam tutò degere non liceat, niſi ipſi pariter, mitioribus omiſſis artibus, ad ſtudia bellica ſe totos convertant: praeſertim ubi ab iſta civitate, haud aliter vicinis ut non laedantur ſatis caveri poteſt. Hoc tamen inter rariora cenſendum jura.

In bellis publicis iidem ſunt petendi fines & juſta initia, ſive *termini a quo*, & *ad quem*, quae in bellis privatis.

Belli gerendi rationes ſunt aut vis aperta, aut iſtiuſmodi fallendi artes, quae, nul-

lam de ſententiis noſtris communicandis pacti vim continent. Vis autem in ſola acie, aut contra repugnantes, licita eſt & probanda. Quamvis pro more illo, qui ubique gentium invaluit, inhumaniſſimo, omnia in quoſlibet ex hoſtili populo, externâ juris ſpecie, impune fieri poſſint. Eſt hoc quoque receptum, hoſtem fictis fallere narrationibus, aut ſermone quovis, ſi pacti forma penitus abſit. Quum vero pactis ſolis pax reduci poſſit, aut, manente bello, averti ſaevitia ab omni abhorrens humanitate; neque hoſtem foederis aut pacti ſpecie decipere receptum eſt, neque umbra quidem juſtitiae fieri poteſt.

III. SUNT & quaedam alia, pacto tacito, aut conſuetudine introducta, quorum obligatio tolli poteſt, ſi modo illi quorum intereſt tempeſtive praemoneantur: ne ſcil. quiſquam venenis in bello utatur; aut ſicarios, ad reges duceſve hoſtiles clam necandos, ex ipſorum civibus aut militibus conducat. Ut ſacri ſanctique inter hoſtes ſint nuncii quivis aut legati, juris eſt naturalis & neceſſarii; quum illorum tantum interventu, ſine partis alterius internecione, pax bello mutari, aut belli gerendi rationes humaniores iniri poſſint. Jure tantum voluntario receptum eſt, ut etiam privatis rogantibus, modo ſint inermes, iter

ter per hoſtium fines facere, aut in hoſtium agris aut urbibus aliquamdiu commorari liceat.

IV. QUO jure res civium ab hoſte capiuntur paucis expediendum.

1. Tenentur gentes pace utentes, cives ſuos omnes a latrociniis, aut injuriis quibuſlibet, vicinis inferendis, coercere: aut ſi quem vicinae gentis civem laeſerint, eos cogere, ut damnum abs ſe datum reparent. De civibus loquimur, qui non praedonum more vitam exuere civilem.

2. Rebus repetitis neque redditis, civitas laeſa jure bellum movet; res ſuas aut civium ſuorum, apud hoſtem detentas jure occupat; aut hujus ſi non ſit copia, damni compenſationem ab iis qui damnum dederant, vel ab ipſa exigit civitate, quae eos defendendo, iiſve receptum praebendo, iu ſe crimen derivavit. Eademque omnia ſunt apertiora, ubi publico conſilio injuria fuit illata.

3. Ubi civitatis iniquae bona publica occupandi deeſt copia; civium hoſtilium bona privata, civitas laeſa jure occupabit, donec omne damnum ab injuria ortum ſit compenſatum. Quum enim in eivium omnium utilitatem civitas fuerat conſtituta, civiliſque imperantibus tributa poteſtas; tenentur cives ea praeſtare damna, quae

ex eo orta ſunt praeſidio, quod utilitatis ſuae cauſa ſibi adſciverant. Civitatum enim rectores, ex eo quod praedones protexerint, eos ad injurias haſce inferendas incitarunt, eaſque defenderunt.

4. Qui vero innocui cives hoſtiles, damna haec, ex cauſa publica, perſerunt, jure a ſuis imperatoribus hoc exigunt, ut publicè haec ipſis praeſtentur, aut ex eorum bonis qui ſua culpa damnis cauſas praebuerunt. Aequius quidem foret & facilius, ſi civium hoſtilium bona capta, pignoris in modum detinerentur, douec laeſae civitati aliunde fieret compenſatio; eâque publicè factâ, tum demum ſua privatis forent reſtituenda. Mos tamen invaluit diverſus. Captae res mobiles dominos omnino mutaſſe cenſentur, quum primum in hoſtium delatae praeſidia, vel ei qui eas ceperat, vel civitati fuerint adjudicatae; ita ut denuo receptae, a priore domino poſtliminii jure vindicari nequeant: neque ulli in poſterum vindiciarum liti pateant, poſtquam ſpecioſo quovis titulo acquiſitae, intra civitatis non hoſtilis fines pervenerunt.

V. Quae civitates medias, neutri bellantium palam faventes, ſpectant jura, breviter attingemus. 1. Vicina quaevis civitas nullo de auxiliis alterutri praebendis

dis foedere devincta, vicinorum bellis invita neque implicari, neque ex iis damna pati debet.

2. Si foedere de auxiliis mittendis utrique adstringatur media civitas, vel neutri mittenda auxilia, vel si malit, illi cujus causa sibi justa videtur: & tum demum bello se immiscebit. Istiusmodi enim foedera tunc modò obligant, quum bello subest causa justa; neque paciscentium quemquam ad bellum iis inferendum, qui priore foedere publico sibi devincti erant, adstringunt.

3. Res mobiles ab utravis parte captas & adjudicatas, jure emit, aut legitimo quovis titulo sibi comparat civitas media; neque eas domini priores jure vindicabunt. Ad mediam civitatem ejusve cives non attinet judicare, quo jure res captae fuerant. Saepenumero ne vel norint utrum res venales praedae pars fuerint.

4. Rerum immobilium alia longè ratio. Eas civitati sibi non inimicae fuisse ereptas, mediam civitatem latere nequit: sua autem emptione domini prioris jus, ad eas per vim recipiendas, praecluderetur. Quae quidem urbi cuivis, castello, aut praedio, debebantur a vicinis servitutes reales, aut pensiones annuae, illae novo possessori postulanti jure praestantur: idque denega-

re

re tacitum in ſe haberet contra cauſam ejus judicium: quaeque hujuſmodi novo poſſeſſori praeſtita fuerant, ea ab antiquo domino, rebus ſuis immobilibus receptis, repeti nequeunt. Nullo tamen jure novus poſſeſſor, niſi bello finito, ipſas ſervitutes in perpetuum abolere, aut ſortem debitam remittere poteſt, ita ut domini prioris, rebus ſuis receptis, jus tolleretur.

5. Quicquid eornm qui bellum gerunt uni, a civitate media conceſſum fuerit, idem alteri concedendum; ſive uni conceſſerit, ut milites ex ſuis civibus conſcribat; ſive copias ſuas militares eidem conducendas praebuerit; ſive armis militaribus aut commeatibus ſupportatis adjuverit; ea omnia alteri etiam facienda. Arma quidem, hoſtium alteri vendere, aut commeatum etiam, in urbem aliquam aut regionem armis obſeſſam, invehere, civitatibus mediis negatur, niſi bello ſe immiſcere velint.

6. Civitas media neutiquam prohibenda, ne cum earum utraque quae bellum inter ſe gerunt, commercia exerceat, niſi forte in armis aut apparatu bellico invehendo. Utrique naves onerarias locare, & ex earum mercibus vehendis, juſtum ſibi lucrum captare poteſt. Quod cum ſit, hoſtium merces, non vero ipſae civitatis

mediae

mediae naves, jure capi poſſunt & publicari. Civitas etiam media eorum naves inter quos bellum geritur, ad merces ſuas vehendas conducere poteſt. Quae naves ſi ab hoſte capiantur, jure publicantur; non vero mediae civitatis merces. Neque pignoris jus quodvis aut hypothecae, in res captas olim conſtitutae, amittit civitas media.

7. Merito item receptum, ut neutri intra mediae civitatis fines, hoſtibus ſuis vim inferre liceat, homines ipſos eorumve naves aut merces capiendo aut perdendo. Porrigi autem cenſentur civitatis cujuſque fines, non ſolum ad portus, ſed etiam ad maris ſinus intra agros ejus recedentes, & littora, parteſque maris propinquiores, unde aut ipſi ab hoſtibus, aut hoſtes ab ipſis, tormentis bellicis laedi poſſint. Si enim bellantibus intra mediae civitatis fines ſibi invicem vim inferre liceret; bellum alienum in civitatem mediam, non ſine plurimis incommodis & periculis, tranſportaretur. Omniaque interea cum bellantium utroque commercia penitus tollerentur.

8. Quod ad perfugas attinet. Bellantium neutri permittitur, ut, intra mediae civitatis fines, imperium aut juriſdictionem cum vi conjunctam in cives proprios exerceant, niſi poteſtate prius a media civitate

vitate impetrata. Homines atrociorum ſcelerum rei, minimè ſunt in media civitate protegendi, ſed capti, ſuis ad ſupplicium ſunt tradendi. Qui vero milites ab utrovis, ad mediam confugerunt civitatem, aut qui religionis ergô, aut ob ſimultates civiles, aut quaecunque ſpecioſis de cauſis, ab aliqua reipub. factione incoepta fuerant, patriâ ſunt profugi; de iis invaluit mos, idemque humaniſſimus, ut tutum in omni civitate vicina receptum habeant & protegantur; dummodo nihil hoſtile contra ſuae civitatis rectores illic moliantur.

CAPUT X.

De FOEDERIBUS, LEGATIS, & CIVITATUM DELETIONE.

FOEDERUM ope bella plerumque componuntur. De eorum jure quae praecipua ſunt, de ſingulorum pactis agentes docuimus. In foederibus vero pacem reducentibus, vis & metus exceptioni vix eſt locus: alioquin controverſiae veteres quae bellis cauſam dederant ſemper renaſci poſ-

ſent.

ſent. Valebit tamen ea exceptio quoties illata fuerit vis apertè iniquiſſima, nulla juris ſpecie innixa; aut ubi pacis leges impoſitae ab omni aequitate & humanitate abhorrent. Quod ubi evenerit, ad arbitros provocare licebit; parte vero altera id detrectante, non aliud perfugium reſtabit, quam ut utraque pro ſe judicet, quantumque fieri poteſt ſibi conſulat.

Foedera ſunt vel *realia*, vel *perſonalia:* Haec rariùs inita, ipſos civitatum rectores praecipue ſpectant, cumque ipſis intereunt: Realia populum ſpectant, qui ſenſu quodam immortalis dici poteſt. Sunt foedera vel aequalia, vel inaequalia. Non omnia foedera inaequalia populi majeſtatem imminuunt.

Ad foedera firmanda dabantur olim obſides. Qui mos ideo exoleviſſe videtur, quod haud ſine ſummâ morum ſaevitia & immanitate, obſides immeriti durius tractari poterant, ubi ſuae civitatis perfidia violatum eſſet foedus.

II. In foederibus faciendis adhibentur legati, aut internuntii. Qui omnes, quibuſcunque nominibus ſint inſignes, eodem gaudent jure naturali, quum ad liberae civitatis negotia obeunda veniunt. Legatos ſanctos habendos antea dictum. Jure etiam poſtulant, ut apud eos, ad quos mittuntur

tur mandata exponant. Ut etiam iis petentibus, in ea civitate ad quam miſſi fuerant, commorari concedatur, humanitas quidem ſuaderet; pleno tamen jure non eſt poſtulandum: quum legati, praeſertim ſolertiores, ſpeculatorum munere ſaepius fungi ſoleant. Dumque ibi commorantur, eo ſolo gaudent jure naturali & neceſſario, quo & inquilini.

Jure autem publico & voluntario, plurimis gaudent immunitatibus, privilegiis, & beneficiis, & ipſi legati, & omnis eorum comitatus neceſſarius. Quae omnia tamen, vicinis maturè praemonitis, civitas quaevis ſine injuria immutare poterit.

1. Hoc imprimis receptum, quod legatus in forum alienum non ſit vocandus, eidemque cui antea juriſdictioni obnoxius ſit. Quod hoc conſilio inſtitutum videtur, quod quo vigilantius munero ſuo fungitur, eo magis civitatis ubi commoratur populo ſuſpectus erit & inviſus; ideoque ſi illic cauſam dicere cogeretur, metus eſſet, ne coram judicibus minus aequis agendum foret. Sibi caveant igitur iſti cives, neque cum legato in ipſorum civitate commorante, quem in jus vocare nequeunt, contractus ineant. At ſi quid gravius admiſerit legatus, domum eſt remittendus: bellumque, ſi opus fuerit, regi populove a quo miſſus fuerat,

fuerat, indicendum, nisi illi irrogentur poenae, aut omne quod dederat damnum praestare cogatur. Ubi quidem mercaturae se immiscuit legatus, merces civitati ubi commoratur subjiciuntur, nisi legationi obeundae sint necessariae.

2. Legato ipsiusque comitibus necessariis (quorum numerum & nomina, rogatus exhibere tenetur,) asylum praestat ipsius domus. Magistratuum tamen ibidem in cives suos, aut inquilinos alios, potestatem imminuere nequit, iisdem etiam praestando asylum. Quantus autem cum legato admittendus sit comitatus, civitatis ubi commoraturus est judicio permittendum.

3. Legato in suos jus idem est quod patri-familias, aut quantum in eorum litibus privatis, ipsi sua dederat civitas. Supplicii vero gravioris de suis sumendi jus, nisi civitatis ubi commoratur permissu, sibi arrogare nequit legatus, aut ipse rex in aliena civitate degens.

4. Adversum legatos *interdictis* est locus, ut a vi cives nostri defendantur, qui & per se, vim vi jure repellere possunt.

5. Exulem quempiam aut perfugam facinorosum legatum accipere, nulla tenetur civitas: eum tamen jure in vincula non conjiciet, neque ad supplicium detinebit.

6. Quales legatis honores sint deferen-

 di,

di, & quinam praeſtantiores habendi, ſolis civitatum pactis eſt definiendum. Eo praeſtantior habendus videretur quiſque, quo prudentius inſtituatur civitas cujus negotia obit, aut quo ipſe reliquis virtute & honore ſit inſignior. Regia poteſtas hereditaria nulliſque limitibus circumſcripta, ad legatos honeſtandos nihil affert, ſi veras rerum cauſas, non mores a regnis barbaris deductos, ſpectare velimus.

III. De civili vinculo ſolvendo haec breviter monenda. Primo, Civilem obligationem perpetuo ſolvi exilio, non vero temparario, neque relegatione quamvis perpetuâ.

2. Nemini jus eſſe plenum, civitatem ſuam ipsâ inconſultâ deſerere, niſi legibus permittatur.

3. Ubi vel per vim externam, vel factionem praepotentem, multum immutata fuerit reipub. forma; civibus diſſentientibus, ſaluti ſuae alibi gentium melius conſulere; immo & provinciis ſe in libertatem vindicare licebit: quippe quae, ut antea dictum, ſua ſolum voluntate, ſubjiciebantur.

4. In melius mutatâ repub. eam nulla juris ſpecie cives deſerere poſſunt.

5. Utcunque ab ipſius civibus immute-

tur

tur reipub. forma, manent omnia cum externis innita foedera *realia*.

IV. Quo jure civitas regionis suae partem aliquam aut provinciam, cum populo illic degente, hosti, aut extero cuivis dedere possit, ex dictis facilè intelligitur. Primo, quum communis utilitatis causa, in quâ sua cujusque continetur, civitatis aut populi partes quaeque, ut etiam provinciae, se toti civitati subjecerunt; nullo jure, civitas partes sui quasvis, aut provincias, invitas, extero cuivis dedere poterit, easve obligare, ut se huic subjiciant, quamvis aliter melius sibi consulere possint. At contra; quum ad ea quae fieri nequeunt praestanda nulla civitas obligari possit; si sui partem aliquam aut provinciam civitas defendere nequeat, eam jure indefensam relinquet; &, si aliter suae saluti consulere nequeat, ne eam amplius defendat, pacto se adstringet: quo tamen pacto, nulla huic parti aut provinciae imponitur obligatio, quo minus sibi alia ratione prospiciat, vel novos adsciscendo socios, vel tertiae cuivis civitati se adjungendo, aut subjiciendo, quo ab hoste ingruente protegatur. Pactum enim illud quo in civitatem coaluit populus, illudve quo provincia se subjecerat, in eo casu, e-

jusdemmodi est cum pactis de iis quae fieri nequeunt praestandis.

Quod de populi parte aut provincia, idem dicendum de cive strenuo & forti, quem ob virtutem invisum, hostis sibi tradi postulat: qui quidem, gravi premente necessitate, esset deserendus, neque amplius defendendus; ut dedatur vero minimè convenit, aut prohibeatur quo minus alibi suae saluti consulat.

V. De civitatum deletione haec tenenda. Civitate penitus devictâ, civibus quibusvis, provinciis item, sibi, quantum possunt, prospicere licet; sive alii se adjungere velint civitati, sive novam sibi in provincia constituere. Civium quidem est, pro patria omnia subire pericula, neque temere de ejus salute spem deponere. Si tamen sat patriae sit datum, neque tamen defendi possit, jure, quacunque ratione possunt, sibi suisque prospiciunt.

2. Si quo casu insperato reviviscat civitas. quae aliquamdiu extincta fuerat; ei se adjungere tenentur cives omnes & provinciae, nisi novo atque aequo foedere teneantur. Quae autem foedera, a civibus dissipatis, aut a provinciis, bona fide, dum antiqua civitas extincta fuit, cum exteris jungebantur, eorum firma manebit obligatio.

3. Quae

3. Quae diu extincta fuit civitas, civitati victrici in provinciae modum subjecta, omnia amisit in cives profugos aut provincias suas jura. Neque si in iisdem finibus qui a civitate antiqua occupabantur, nova olim constituatur, ea prioris jura sibi arrogare poterit. Diversae saepe civitates populique, temporibus diversis, eosdem occupant agros. Agrisque mutatis, eadem manet civitas, immo quum vel nullos prorsus habeat.

Manente civitate unus omnium debet esse animus, omnia pro patria & facere & pati, quae antiquissimae sanctissimaeque civitatis, in qua continetur universum genus humanum, cujusque rector & parens est Deus, legibus non adversantur. "Cari sunt liberi, cari conjuges, parentes, propinqui, amici, familiares; omnes tamen omnium caritates patria una complexa est: pro qua vir bonus non dubitabit mortem oppetere, si ei sit profuturus."

F I N I S.

